This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

AH
7448
72

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

AH 7448.72

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

28 July, 1900.

QUAERITUR

UNDE

BELLI PUNICI SECUNDI

SCRIPTORES SUA HAUSERINT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE GOTTINGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS VOLLMERUS

HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXXII.

AH 7448.72
H263.5.6



Salisbury fund

911

HENRICO NISSEN

CURTIO WAGESMUTH

PRAECEPTORIBUS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Perscrutantibus nobis quaestiones de belli Punici secundi traditione praecipue de tertiae decadis Livianae fontibus institutas, magna doctissimorum atque eruditissimorum virorum copia, qui illis iam incubuerunt, occurrit, ut paene nos eam quaestionem denuo attigisse excusatione opus sit. Omnes tamen Böttcheri, G. Soltavii, Friedersdorffii aliorum dissertationes ideo, ut mihi quidem videtur, rem ad liquidum non perduxerunt, quod singulos tantum scriptores in disceptationem vocaverunt et in eorum fontes inquisiverunt neque tamen *omnes simul* auctores respexerunt, quamvis Nissenius libro, qui inscriptus est „kritische Untersuchungen über die 4. u. 5. Dekade des Livius" tam egregie quae ineunda esset viam ac rationem demonstrasset. Boettcherum, qui nuper hac de re luculenter disseruit, multum in Polybii Liviique fontibus indagandis C. Peteri opinione refutata profecisse pro certo habemus, et frustra H. Peterus et Wölfflinus libro „Caelius Antipater" Boettcheri quaestionibus neglectis Polybium a Livio in libris XXI et XXII in usum vocatum esse affirmaverunt.

Omnia tamen, quae de belli Punici secundi primis annis veteres tradiderunt, perscrutati non solum Caelium a Livio, ut Boettcherus existimat, sed alium quoque auctorem Romanum Valerium Antiatem adhibitum esse probaturos nos esse speramus.

Videamus igitur, unde Polybius, Diodorus, Appianus, Dio-Zonaras, Plutarchus, Cornelius Nepos, quae tradiderunt, hauserint, priusquam ad Livium ipsum adgredimur et illas duas relationes, quas contaminavit in libris XXI et XXII enarrandis, indagamus.

Omnia quae veteres de illo bello tradiderunt, ad duos praecipue scriptores referenda esse videbimus, quorum alter Carthaginiensium rebus studebat, Silenus, alter Romanarum partium erat, Fabius, et utramque Carthaginiensem Romanamque traditionem in Livii a. u. c. ll. XXI et XXII inveniemus. Simul magnam illam optimatium plebisque dissensionem, quae in omnibus rebus Romanis exstitit, inter scriptores quoque rerum Romanarum inveniemus, cum Polybius Caeliusque in fine sexti seculi a. u. c. vetustissimam optimatium Fabianam traditionem, quae Fabiam gentem maxime laudavit, aliis Carthaginiensibus scriptoribus Romanisque auctoribus nisi reicerent et plebeiorum illius belli ducum Corneliaeque imprimis gentis merita illustrarent.

I. Polybius.

De Polybii fontibus disseruit Markhauser „der Geschichtschreiber Polybius“ p. 176—77, sed eos tantum scriptores enumeravit, quorum nomina apud Polybium exstant; ut plerumque tamen fit apud veteres historicos, ita Polybium quoque saepe eos ipsos auctores, quibus maxime usus sit, non nominare videmus.

Quapropter iam singulos locos, quibus auctores quos sequitur laudat, diligentius perlustremus.

1. Pol. 1. 14 de primi belli Punici scriptoribus Philino Acragantino et Fabio vetustissimo historico Romanorum loquitur, quos „*τοὺς ἐμπειρότατα δοκοῦντας γράφειν ὑπὲρ τοῦ πολέμου*“ dicit, qui tamen patriae amore studioque inducti multa falsa historiae inseruerint, quod exempli causa Philinus initio belli Hieronem Romanorum victorem mox a Romanis Syracusis oppugnatum et ad pacem faciendam coactum esse tradiderit, Fabius finiendi belli causam Hamilcaris Carthaginiensiumque in Eryce cladem atque inopiam fuisse dixerit. Ceterum fontes nusquam in rebus gestis illius belli enarrandis nominat, quamquam in toto bello enarrando Polybius Fabium Philinumque suo arbitrio secutus esse ostendi potest.

2. Pol. 1. 65. 9 *συγγραφεῖς* nominat, inter quos de belli Punici secundi causis disceptatio sit, quamobrem postea

perlucide omnes illius belli causas se narraturum esse pollicetur.

3. Pol. 2. 40 4 Arati Sicyonii *ὑπομνηματισμούς* in rebus Graecis enarrandis nominat, quem Phylarcho, qui alia omiserit, alia effinxerit, alia imminuerit, aut auxerit, praefert.

4. Pol. 3. 6 nonnullos *ἔνιοι τῶν γεγραφότων τὰς κατ' Ἀννίβαν πράξεις* commemorat, qui causas belli Punici secundi Sagunti oppugnationem et Hannibalis Hiberi transitum dixerint, quas non causas (*αἰτίας*) sed primordia (*ἀρχάς*) belli fuisse ostendit. Quibus Carthaginiensibus auctoribus

5. Pol. 3. 8 verbis *Φάβιος δὲ ὁ Ῥωμαϊκὸς συγγραφεύς* Fabium opponit, qui praeter Saguntum excisum Hasdrubalis Hannibalisque ambitionem regnandique cupidinem belli Punici secundi causas fuisse dicat, et Hannibalem bellum gessisse contra magistratuum Carthaginiensium voluntatem.

Utraque parte audita Polybius suam affert opinionem, ex qua verae belli causae fuerunt primum odium Hamilcaris Barcae in Romanos, tum Carthaginiensium ira de amissa Sardinia, denique Hispania celerrime a Carthaginiensibus subacta.

6. Pol. 3. 20 in nonnullos *ἔνιοι τῶν συγγραφέων* invehitur, qui post Saguntum excisum Romanos consuluisse, utrum inferrent Carthaginiensibus bellum annon, narraverint et orationes in Romano senatu de bello gerendo habitas tradiderint. Polybium verbis „*πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων οἷα* (qualia) *γράφει Χαιρέας καὶ Σωσύλος οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν κτλ.*“ in Chaeream et Sosylum invehi C. Peterus aliique existimarunt; neque tamen iis adsentire possumus; multo magis iis quoque verbis eum in Fabium Romanum scriptorem animadvertisse

quem hoc loco cum illis Carthaginiensibus scriptoribus comparet (*οἷα γράφει*), pro certo habemus.

Polybius enim nonnulla, quae e Carthaginiensi fonte — Chaerea Sosyloque — haurire non potuit, tradit; primum laudant illi scriptores (20. 3) senatus Romani constantiam (*τὴν στυγνότητα τοῦ συνεδρίου παρεισάγουσι θαυμάσιον*), tum Polybius eorum narrationem senatores Romanos filios XII annos natos in senatus curiam secum duxisse vanam irritamque putat (20. 3—4).

Attamen ab aliis quoque praeclaris auctoribus hunc morem Romanis fuisse audimus, a M. Porcio Catone (cf. Gell. N. A. 1. 23 „historia de Papirio Praetextato dicta scriptaque est a M. Catone in oratione. *Mos antea senatoribus Romae fuit in curiam cum praetextatis filiis introire.*").

Quae cum optima *Romana* traditio sit, illis verbis Polybium non Chaeream Sosylumque sed Fabium Romanum scriptorem, qui res Romanas optime novit illasque orationes melius quam Carthaginienses auctores tradere potuit (P. 3. 8 *διότι ὁ γράφων Φάβιος τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων*) reprehendisse censemus.

Praeterea Dionem Cassium in prioribus historiarum libris fortasse Fabium secutum esse, minime vero Chaeream Sosylumque, ut C. Peter putat, postea videbimus.

Dio-Zonaras autem Romae Sagunti excisi nuntio accepto indicto senatu multa verba facta esse narrat et orationes L. Cornelii Lentuli et Q. Fabii Maximi, quorum alter statim bellum decernendum, alter prius legatos mittendos esse dixit, tradit (cf. Dio C. fr. 54, 1—9).

Polybius non recte illam, quae Fabiana existimanda est, narrationem refellit; Romanos tam temere gravissimum bellum suscepisse neque prius pacem sustinere tentasse haud credibile est; erant certe multi Romae, qui pacem quam bellum mallent, ut Carthagine quoque Barcinam atque An-

nonis factionem invenimus. Romanorum optimatum et propterea eorum historici Fabii Pictoris multum intererat, ut culpa belli prorsus se liberarent et senatum Romanum pacis studiosum fuisse ostenderent; quamobrem Fabius Pictor avunculum Q. Fabium Max. Cunctatorem ad eos qui paci sustinendae studebant, pertinuisse scripsit. Quodsi coniungimus illam Fabianam apud C. Dionem Zonaramque relationem et Polybii verba, quae supra citavi, eum illis verbis non in Sosylum et Chaeream sed in Fabium, quem iam 3. 8—9 vehementissime increpavit, invehi videmus.

7. Pol. 3. 26 primi Punici belli scriptorem Philinum citat, qui foedus fuisse ex quo Carthaginienses Italia, Sicilia Romani abstinere deberent, dixerit, quem quia illud foedus non in templo Jovis Capitolini (P. 3. 26. 1) invenerit refutare studet.

Sed Nissenius (die römisch-karthag. Bündnisse; Jahrbb. f. class. Philol. 1867, p. 321 ff.) iam Philini narrationem erga Polybii fidem atque auctoritatem, qua apud omnes utitur, defendit ac fuisse illud foedus inter Romanos Carthaginiensesque ictum a. 306 demonstravit.

Locis, quos Nissenius laudavit, adiungere possumus:

a) Serv. ad Verg. Aen. 1. 108 p. 28 ed. A. Lion, Claud. Quadr. fr. 31 (Peter)

„haec autem sunt saxa inter Africam, Siciliam, Sardiniam et Italiam, quae saxa ob hoc Itali aras vocant, quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii illic esse voluerunt. quae arae a Sisenna propitiae vocantur. quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quae subito pessum ierit, in cuius reliquias saxa haec exstare, in quibus aiunt Poenorum sacerdotes rem divinam facere solitos. — has aras alii Neptunias vocant, sicut Claudius Quadrig. I. annalium, apud aras, quae vocabantur Neptuniae.“

Quo loco foederis condiciones paulo accuratius cogno-

scimus Liparas insulas „inter Africam, Siciliam, Sardiniam, Italiam“ fines fuisse imperii Carthaginiensium.

b) Liv. 21. 10 qui Hannonem facit dicentem „sed Tarento, id est Italia, non abstinueramus e foedere.“

c) Zon. 8. 9 (p. 134) qui transitum Romanorum in Siciliam *σπονδῶν διάλυσιν* appellat;

d) Zon. 8. 9 (p. 134) apud quem a. 264 Carthaginienses poscunt „*τήν τε Μεσσήνην ἐκλιπεῖν καὶ ἐκ πάσης ἀπελθεῖν Σικελίας ἐν ἡμέρᾳ ῥητῇ*“ (cf. Z. 8. 8).

Carthaginiensibus Liparas insulas fines imperii statuentibus, Romani in Pontias insulas iam a. 313 coloniam deduxerunt (cf. Liv. 9. 28 et Diodor 19. 101) remque navalem exornandam curarunt (Liv. 9. 30 et 38).

Nissenius illud foedus quartum recte meo quidem iudicio a. 306 renovatum esse existimat, quamquam Liv. 9. 43 foedus tertio renoavatum a. 306 tradit.

8. Pol. 3. 33. 17 ff. in numero exercitus, quem Hannibal ex Hispania in Italiam duxerat, dicendo illius inscriptionis in templo Iunonis in promontorio Lacinio insculptae fidem atque auctoritatem se alii traditioni praetulisse dicit („*διὸ καὶ κατακολουθεῖν εἰλόμεθα τῇ γραφῇ ταύτῃ*“).

9. Pol. 3. 47. 6 verbis „*ἔνιοι τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς ταύτης*“ eos scriptores denotat, qui Alpium transitum Hannibalis narrant et augendo difficultates eius itineris deos deorumque filios Hannibalis in eo itinere duces inducunt eorumque opera Hannibalem Alpes superasse dicunt.

Quos Polybius illis verbis nominet pro certo non habemus; multos vero de hoc semper laudato itinere scripsisse videmus. Fortasse inter hos scriptores numerandi sunt Chaereas et Sosylus, quorum fidem atque auctoritatem iam 3. 20 reiecit, cum Silenus Hannibalis comes, quem Polybius et Livius, ut videbimus, in Alpium transitu describendo se-

quuntur, non duxisse deos Hannibalem, sed Hannibalem id somniasse narrat (Cic. de div. 1. 24. 49).

Illorum scriptorum fabulis nugisque Polybius suam auctoritatem opponit et se ipsum itineribus per Alpes factis (velut 3. 54. 7 itinera per Galliam, Hispaniam, Africam, Oceanique terras memorat) viam cognosse et aequales rerum gestarum, quos tamen non nominat, secutum esse dicit

3. 48. 12 „*διὰ τὸ περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παρατετευχότων τοῖς καιροῖς.*“

Ter Polybius in libro tertio, in bello Punico secundo enarrando', aequales illorum temporum profert, bis ut puto Romanos testes, semel Carthaginiensem.

1) 3. 85. 8 nuntio cladis ad lacum Trasimenum acceptae Romam adlato „*τηλικαύτην συνέβη γενέσθαι διατροπὴν ὥστε τοῖς παραγενομένοις ἐφ' ἑκατέρων τῶν καιρῶν πολλῷ μεῖζον τότε φανῆναι τὸ γεγονὸς ἢ παρ' αὐτὸν τὸν τῆς μάχης καιρόν,*“ ubi Fabium ut puto sequitur.

2) 3. 105. 8—9 „*τοῖς μὲν οὖν παρ' αὐτὸν γενομένοις τὸν κίνδυνον ἦν ἐναργές.*“

3) 9. *τοῖς δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ τότε ἐγένετο φανερὸν*, ubi priore loco Silenum, altero Romanum Fabium in illa Minuciana clade describenda significat.

Omnibus igitur in locis Polybium aequalium relationes exscripsisse videmus, quos perraro ac solum tum ubi eos refutat aut aliis eos praefert, nominat.

Idem quoque in sequentibus libris invenimus;

10. 7. 7. 1 *τινες τῶν λογογράφων ὑπὲρ τῆς καταστροφῆς τοῦ Ἱερωνύμου γεγραφότων*, Syracusarum historiae scriptores producuntur,

11. 8. 4. 1—3 „*τὰς κατὰ μέρος ἱστορίας γράφοντας*

τὰς Σικελικὰς [ἢ] τας Ἰβηρικὰς πράξεις" suamque pragmaticam historiam comparat;

12. 8. 10. 4 laudationes scriptorum (συγγραφεῖς) rerum a Philippo Macedonum rege gestarum vituperat;

13. 9. 22. 7 in Hannibalis moribus describendis duas opiniones profert

a) aliorum (τινές), qui eum crudelem (9. 26. 11 Romani),

b) aliorum (τινές), qui eum pecuniae avidum fuisse crediderint (9. 25. 1 Carthaginienses et Massinissa rex).

14. 10. 9. 2 in συγγραφεῖς invehitur, qui res a Scipione gestas ad deos et fortunam magis quam ad ipsius virtutes consiliumque retulerint, Laeliique narrationes neglexerint;

15. 10. 11. 4 Novam Carthaginem se ipsum vidisse narrat;

16. 15. 34 nonnullos „ἔνιοι τῶν γεγραφότων τὰς πράξεις ταύτας" Aegypti historiae scriptores, et

17. 16. 2. 3 nonnullos „τῶν συγγραφέων τινες", qui de Dianae effigie retulerint, laudat,

18. 16. 14. 1 Zenonem atque Antisthenem Rhodios scriptores historiae orientalis paulo accuratius praedicat,

19. 22. 19. 1 τινες τῶν συγγραφέων historiae Macedoniae scriptores, commemorantur,

20. 23. 10ᵃ se disceptationi inter Archontem et Philopoemena interfuisse ait,

21. 29. 6ᵃ ἕτεροι περὶ τοῦ Συριακοῦ πολέμου Syriae historiae scriptores perstringuntur.

Hi sunt loci, quibus Polybius fontes, unde hausit, significat praeter eos ubi priorum temporum scriptores ut Timaeum, Ephorum, Callisthenem, ac Theopompum respicit, laudat et vituperat.

Nullo loco Polybium nomina scriptorum, quos sequitur, proferre vidimus, sed tantum eos *συγγραφεῖς* aut *γεγραφότας* etc. nuncupare.

Paulo diligentius in hanc de Polybii fontibus quaestionem inquisivimus, quia nondum satis exhibita multum meo quidem iudicio ad rectam huius scriptoris cognitionem affert.

Consilio forte legentibus traditionis originem dissimulabat, quia ipse primus historiam universalem scribere atque omnes alios scriptores, qui singularum terrarum temporumque historiam memoriae tradiderunt, in unum colligere studebat.

Dum scriptores tantum Philinum, Fabium, Aratum, Phylarchum, Zenonem, Antisthenem ut laudet aut vituperet, nominat, eum tamen alios quoque secutum esse satis constat, qui plerumque tamen nominari nequeunt. In libro tertio Polybius praeter titulum in Iunonis Laciniae templo insculptum quinquies fontes suos laudat bis Fabium quem refutat, bis Carthaginienses relationes, quas se secuturum esse pollicetur, bis, ut vidimus aequales eius belli in rebus gestis ipsis enarrandis. Itaque Romanas ac Carthaginienses relationes ut libro primo ergo hoc libro quoque permiscuit.

E Carthaginiensi relatione certe descripsit:

1) ab Hannibale susceptas expeditiones in Hispania aestatibus annorum 221 et 220, ubi praecipue urbium nomina Graecum fontem ostendunt (Polyb. *Ἀλθαία*, *Ἀρβουκάλη*, *Ἑλμαντική*, Liv. Cartala, Arbocola, Hermandica) et Hannibalis in iis expugnandis consilia (Pol. 3. 14—15);

2) Romanam legationem in Hannibalis castris in hieme $220/_{19}$ (Pol. 3. 15) missam, quae apud Liv. (21. 9.) diversum in modum narratur.

3) (P. 3. 17) causas, quae Hannibalem ad Saguntum expugnandum movent, urbis expugnationem et praedae dispartitionem.

4) (Pol. 3. 33. 5—60) Rhodani transitum et Hannibalis per Alpes iter, quod ephemeridis in modum Polybius exponit, ut accuratissime 21 dierum spatii ab adventu Hannibalis ad Rhodanum usque ad Alpes, 15 dierum usque ad adventum in Italiam, omnino 36 dierum, itinera ac castra stativa describere possimus.

Ut haec intelligas relationem de Hannibalis Alpium transitu Livii ac Polybii compares, quo facto ilico, quantum distent Caelii exornatae illius belli historiae et Polybii militaris relatio videbis, simulque Livium nullo modo a Polybii relatione dependere, ut C. Peter existimat.

Ubique maiorem in temporibus enarrandis Polybii diligentiam agnoscimus qua se scriptorem militarem probat. Livius singula addit velut verbis „per fluentem tabem liquescentis nivis“ describit eos rivulos quos dicimus „Gletscherbaeche“, et narrat in via munienda ardentia saxa aceto infuso putrefacta esse, quod praeter eum solus Appianus Hann. 4 tradit.

Post illam Alpium itineris narrationem, quam, ut Boettcherus iam ostendit, Polybius e Sileno hausit, exactissime describuntur non modo numeri atque habitus exercitus Carthaginiensis in Italiam advenientis (3. 60), sed etiam tempora populique ad quos venit, ut Polyb. eos e 3. 36. 3 exposito consilio nominare voluit, Taurinorum urbis expugnatio post tres dies, editum in castris Carthaginiensium captivorum spectaculum (3. 62), proelium equestre ad Ticinum, quas narrationes iam Boettcherus recte a Sileno repetiit. Ad eundem Silenum referas quae Polybius post hoc praelium enarratum de Padi transitu Hannibalis (66. 6 *καταλύσας δευτεραῖος*), de castris apud Placentiam locatis et de Gallis cum Hannibale se iungentibus tradit.

Eundem in pugna ad Trebiam enarranda (3. 68—74) scriptorem invenimus. Loca varia insidiis apta, Magonem

in insidiis collocatum esse „ἅμα τῷ δειπνοποιήσασθαι“, Hannibalis aciem, elephantorum amissorum numerum, qui brumali tempore omnes perierunt praeter unum, nemo nisi Carthaginiensis scriptor tam accurate tradere potuit.

c. 76 Cn. Scipionis in Hispania a. 218 res gestae narrantur (fortasse e Fabio aut Scipione quopiam auctore, cuius relationibus Polybius ob amicitiam Scipionum usus est).

c. 77 hiberna Hannibalis in Gallia, iter per paludes in Etruriam factum in quo Hannibal elephanto vectus altero oculo captus est, denique totam pugnam ad lacum Trasimenum commissam meo quidem iudicio Carthaginiensi scriptore usus narrat.

Eandem originem indicant verba Polybii c. 83. 3 *ἐν δεξιᾷ βοννοὶ κατὰ τὸν αὐλῶνα κείμενοι*, ubi Baleares ac levem armaturam Hannibal locat, et tum *εὐώνυμοι βοννοί*, ubi equites et Gallos locat, ita ut eorum extremi ad lacum in introitu in vallem positi essent. Ita nisi Carthaginiensis scriptor, qui medius iuxta Hannibalem ducem in monte qui convallem clausit, erat describere non potuit. Quamobrem Nissenio, qui totam illius pugnae Polybianam relationem Fabio Romano scriptori attribuit, non adsenties, imprimis si caedem utrimque factam, quae duplex a duobus scriptoribus tradita est, comparaveris

Livius 22. 7	Polyb. 3. 84—85
„*Fabium aequalem* horum temporum secutus“	e Sileno
15000 Rom. †	15000 Rom. †
2500 Carth. †	15000 „ capti.
	1500 Carth. †
	c. 30 *ἐπιφανέστατοι τῶν Καρχηδον.* †

Quae variae relationes ad unum eundemque fontem referri non possunt. Fortasse etiam exercitus Romani cum

catenis ac vinculis ad hostes captos vinciendos in pugnam ad lacum Trasimenum exeuntis descriptio (P. 3. 68. 9) ad Carthaginiensem scriptorem pertinent. Morem enim vinculorum ad captos hostes vinciendos in bellum portandorum nisi apud Carthaginienses non invenimus; castris Carthaginiensium ab Agathocle captis a. 310 eum 20000 vinculorum invenisse tradit Diod. 20. 13, quem morem Silenus fortasse exercitui Romano qnoque attribuit, ut illius superbia ac clades magis appareret.

c. 86—87 Polybius Hannibalem per Umbriam et Picenum Adriaticum petisse tradit, quo δεκαταῖος venerit, limopsorum, qui homines equosque ceperit, narrat, Hannibalem eos lavando vinis veteribus refecisse, quae omnia scriptorem, qui in Carthaginiensium castris omnibus his rebus affuit, ostendunt. Praecipuam inter Romanam Carthaginiensemque Polybii narrationem controversiam in Hannibalis legatione a mari Adria Carthaginem missa enarranda animadvertimus, quae in Polybio iucundum ac laetum responsum refert, dum apud Zonaram, Appianum, Fabii sententia bellum contra Carthaginiensis senatus voluntatem susceptum esse apparet, Carthaginiensibus pecuniam et milites poscentem deridentibus.

c. 88—90 dictatura et res gestae Fabii narrantur, ubi Polybius Fabium fortasse sequitur.

c. 90. 7—14 Polybii narratio ab omnibus aliis decedit in transitu Hannibalis per Samnium in Campaniam enarrando, cum e Polybio τολμηρῶς et consilio, e Livio et Plutarcho ducentium errore in Campaniae campos venisse Hannibalem audiamus; facile in Polybii relatione Carthaginiensem autorem, in Livii annalium scriptorem cognoscimus.

c. 92—94 Hannibalis fugam e Campaniae planitie bovibus accensis cornibus in saltus a Romanis obsessos instigatis narrat. Hic quoque primum certae temporum ratio-

nes 93. 6 *δειπνοποιησαμένοις*, 7. *ἅμα τῷ κλῖναι τὸ τρίτον μέρος τῆς νυκτός*, tum locorum situs multo accuratius a Polybio quam a Livio describuntur

Pol. 3. 92. 10	Liv. 22. 16
Φάβιος ἐπ' αὐτῆς τῆς διεκβολῆς περὶ 4000 *ἐπέστησε αὐτὸς δὲ τὸ πολὺ μέρος ἔχων τῆς δυνάμεως ἐπί τινα λόφον ὑπερδέξιον πρὸ τῶν στενῶν κατεστρατοπέδευσε*	Fabius et Minucius castra *in viam* deferunt, qua Hannibal ducturus erat inclusus inde videri Hannibal *via ad Casilinum* obsessa
93. 1 *τῶν Καρχηδονίων ποιησαμένων τὴν παρεμβολὴν ἐν τοῖς ἐπιπέδοις ὑπ' αὐτὴν τὴν παρώρειαν*	H. cum per Casilinum evadere non posset, petendique montes et iugum Calliculae superandum esset
5. *ὑπέδειξε δὲ τοῖς λειτουργοῖς ὑπερβολήν τινα μεταξὺ κειμένην τῆς αὐτοῦ στρατοπεδείας καὶ τῶν στενῶν*	ut boves ageret super *saltus* ab hoste obsessos

porro caussae quae maxime Hannibalem movebant ut planitie exiret praeda in tutum referenda exercitusque in hiberna ducendus, accurate dictae, tum agnimis per saltus fauces elabentis ordo diligentissime declaratus „*πρῶτα μὲν τὰ βαρέα τῶν ὅπλων, ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς ἱππεῖς κτλ.*, denique singula iussa Hannibalis (93. 4), ut Hasdrubal 2000 boves pararet, ut levis armatura boves ageret, et transitum a latere firmaret (93. 9), haec omnia tam accurate a Polybio narrantur, ut primarii Carthaginiensisque (Sileni) scriptoris in iis vestigia eum pressisse satis appareat; e Sileno quoque narratio de Fabio, qui fallebatur hausta est, et verba „*Φάβιος κατὰ τὸν ποιητὴν οἰσσάμενος δόλον εἶναι*“ Carthaginiensis scriptoris Romanum dictatorem deridentis fortasse sunt (94. 4).

c. 94 Silenum quoque secutus esse Polybius ea re for-

tasse comprobari potest, quod Polybius Minucium exercitum Romanum Gereonium perduxisse (101), Livius Fabium a Gereonio Romam profectum esse tradit, cum Livius in illa parte ut videbimus, Valerii Antiatis Fabianam relationem sequatur.

Summa dissensio inter Livium Polybiumque est de Gereonio capto

Polyb. 3. 100. 3.	Liv. 22. 19.	Liv. 22. 23.
ἀφικόμενος δὲ πρὸς τὸ Γεροὺνιον — τοὺς μὲν οἰκήτορας κατέφθειρε κτλ.	Poenus Gereonium pervenit, urbem metu, quia collapsa ruinis pars moenium erat, *a suis desertam.*	H. pro Gereonii moenibus eius urbis *captae* atque incensae a se

Livius primo loco, ut videbimus, Romanam Valerii Antiatis relationem sequitur, postea Caelianam Carthaginiensem quoque relationem profert.

Romanum auctorem pudebat sociorum indigne peremtorum neque auxilii lati, Polybius contra verum protulit Carthaginiensem auctorem Silenum secutus.

c. 95—99 res gestas a Scipionibus in Hispania, Cn. Servilii maritimas expeditiones, Abelygem obsides Hispanorum Romanis tradidisse narrationem continent e scriptore, quem P. c. 76 secutus est, Fabio aut Scipione.

c. 100—106 Hannibalis castra hiberna ad Gereonium a. 217/6, Minucii de Hannibalis frumentatoribus victorias, Carthaginiensium castrorum oppugnationem, e Sileno auctore ut puto narrat; nam accuratissime de Carthaginiensibus refert (101. 4 castra Carth. 16 *στάδια ἀπὸ τῆς πόλεως*), Hannibalis consilia et res gestas multo exactius persequitur quam Romanorum et in ratione, qua Fabius et Minucius inter se dividunt legiones maxime differt a Liviana narratione, quae eo loco ut videbimus Valerii Antiatis accuratiorem

Fabianam relationem sequitur; eundemque Silenum in clade Minucii, qui Fabii auxilio servatus est sequitur.

Nam hic quoque locorum situm (104. 3—5) temporum rationem (104. 6 *ἅμα τῷ διαγάζειν*, 105. 1 *ἄρτι τῆς ἡμέρας ἐπιγενομένης*), Graecas voces „*ἕρμαιον εἶναι νομίσας*“, Polybius e Carthaginiensi autore hausit, quem c. 105. 8 quoque nominat verbis „*τοῖς μὲν οὖν παρ' αὐτὸν γενομένοις τὸν κίνδυνον*“ quae verba in Silenum ut puto demonstrant, dum verbis sequentibus „*τοῖς δ' ἐν τῇ Ῥώμῃ τότε ἐγένετο φανερὸν ὁμολογουμένως*“.

Pol. 3. 105. 9	Diod. 26. 5 qui *Fabium* seq.
τί διαφέρει στρατιωτικῆς προπετείας καὶ κενοδοξίας στρατηγικὴ προνοία καὶ λογισμὸς ἑστὼς καὶ νουνεχής . .	*ὑπὸ πάντων ἐκρίθη Μινύκιος μὲν ἀφροσύνῃ καὶ ἀπειρίᾳ τοῖς ὅλοις ἐπταικώς, Φάβιος δὲ ἀγχινοίᾳ καὶ ἀρετῇ στρατηγικῇ διὰ παντὸς προνενοημένος τῆς ἀσφαλείας . . . .*

Fabium nominat.

c. 106—7 quibus res Romanae traduntur, belli apparatus, L. Aemilius et C. Terentius consules novi etc. e Romano autore Fabio pendent, cf.

Pol. 3. 107. 9	Diod. 26. 7
ἑκάστου τῶν στρατοπέδων ἔχοντος ἄνδρας εἰς 5000 *χωρὶς τῶν συμμάχων . . .*	*κατὰ δὲ Ῥωμαίοις ἡ λεγεὼν* 5000 *εἰσίν . . .*

c. 108—118 res gestae usque ad pugnam Cannensem et pugna Cannensis narrantur.

Polybium *Carthaginiensem* scriptorem Silenum secutum esse ex eo videmus quod differt a Livii narratione

1) in numeris Romani exercitus enarrandis

Pol. 3. 113. 5		Liv. 22. 36 (quidam auctores)
80000 p.	6000 eq. Rom.	87200 p. Rom.
40000 „	10000 „ Carth.	40000 „ 10000 eq. C.

2) in acie pugnaque describenda

	M. Atilius	
L. Aemilius	Cn. Servilius	C. Terentius
Ῥωμαίων ἱππεῖς	*πεζοί*	*ἱππεῖς συμμάχων*
	εὔζωνοι	
	Βαλιαρεῖς κ. λογχοφόροι	
ἱππεῖς	*½ πεζοὶ πεζοί ½ πεζοί*	*Νομαδικοί*
Ἴβηρες κ. Κελτοί	*Λίβυες Ἴβηρες*	*Λίβυες ἱππεῖς*
	κ. Κελτοί	
Asdrubal	Annibal	Anno
	Mago	

Apud Carthaginienses accuratissime singulas copias differt, in Romana parte tantum *πεζοί*ς et *ἱππεῖς*. Lunata acies, media acies cedens, Afri cornua facientes (*ἐπ' ἀσπίδα* et *ἐπὶ δόρυ ἐγκλίναντες*) a Graeco milite tantum, qui huic pugnae affuit, tam accurate demonstrari potuit.

Fabium, quem Romani optimates paulo post cladem Cannensem Delphos miserunt, qui senator Romae erat, qui bellicas laudes iam 10 annis ante in bello contra Gallos gesto acceperat, pugnae affuisse et tam accurate eam describere potuisse haud verisimile est.

3) variant Polybius Liviusque in numeris caesorum ita ut Livius exactius Romanorum numerum, Polybius Carthaginiensium tradat.

Pol. 3. 117. 3	Liv. 22. 49.
70000 Rom. †.	45500 Rom. †.
10000 „ capti.	2700 eq. Rom. †.
70 eq. cum Varrone Venusiae.	(21 trib. mil. †.)
	3000 p. capti.
300 eq. soc. *σποράδην*.	1500 eq. „ in pugna.

Pol. 3. 117. 3.	Liv. 22. 49.
c. 4000 *Κελτοί* †.	6400 eq. in maioribus.
c. 1500 *Ἴβηρες καὶ Λίβυες* †.	6400 „ in minoribus c. 50 fugere c. Varrone.
c. 200 *ἱππεῖς* †.	8000 Carth. †.

Polybius ergo Romanum exercitum 370 viris exceptis qui pugnae excesserint, caesum aut captum esse tradit.

4) Tandem apud Polybium rursus accuratissimam dierum imperiique consulum rationem, quam Silenus a perfugis fortasse acceperat, cum consules alternis diebus imperarent, locorumque descriptionem perlucidam invenimus.

Octo dierum alternum imperium duorum consulum Pol. 3. 110. 1 sq. narrat

d. I. *τῇ δ' ἐπαύριον* (110. 1) L. Aemilii imp. agmen erga Carth. proficiscitur.

d. II—III. *δευτεραῖοι* (1) Varronis Aemiliique imp. castra c. 50 stadia a Carth. remota; L. Pauli consilium ut evitarent Carthaginiensium equitatum.

d. IV. *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν* (Varronis imp.) proelium inter levem armaturam equitesque Carth. et levem armaturam equitesque Romanos admistis quibusdam manipulis. *ἐπιγενομένης νυκτός* proelium dirimitur.

d. V. *εἰς δὲ τὸν ἐπαύριον* (7) Aemilii imp. castra Romana ad duas Aufidi partes locata, maiora minoraque.

d. VI. *τῇ δ' ἐχομένη* (112) Varronis imp. exercitus ad pugnam parantur.

d. VII. *τῇ δ' ἑξῆς* (L. Aemilii imp.) Numidarum in minora castra Rom. incursatio.

d. VIII. (*ὁ δὲ Γαῖος ἅμα τῷ παραλαβεῖν τῇ κατὰ πόδας ἡμέρᾳ τὴν ἀρχήν*) (Varronis imp.) pugna Cannensis.

Ita in Polybii narratione semper summam diligentiam quae militaris est scriptoris invenimus et optimo iure om-

nem fere Polybianam traditionem in Hannibalis comitem Silenum referre potuimus, quem ut solet nusquam nominat verbis tantum laudat

3. 6 *ἔνιοι τῶν συγγεγραφότων τὰς κατ᾽ Ἀννίβαν πράξεις*, 3. 47. 6 *ἔνιοι τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς ταύτης*, 3. 59. 7 *παρατετευχότες τοῖς καιροῖς*, 3. 105. 8 *παραγενομένοις παρ᾽ αὐτὸν τὸν κίνδυνον*. — Verbis 3. 9. 5 „*ἐγὼ δὲ φημὶ μὲν δεῖν οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίστιν* (Fabii) *οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν, τὸ δὲ πλεῖον ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τούς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας*“ Polybium quoque Silenum Scipionesque, qui rebus gerendis ipsi interfuerint, se secuturum esse polliceri censeo Fabiumque, in quem hoc loco (3. 8—9) gravissime invehitur prorsus reicere.

Silenum sub Hannibale militasse resque ab eo gestas literis mandasse diligentissime satis constat (C. Nep. Hann. 13, Cic. de div. 1. 21). Erat enim cum Hannibale in castris simulque vixit quam diu fortuna passa est.

Perpauca fragmenta, quae exstant Silenum veritati et accuratae diligentiae studuisse ostendunt.

Ut Alexander Magnus Callisthenem, Ptolemaeum, Aristobulum, ut Eumenes, Antigonus, Demetrius Poliorcetes Hieronymum Cardianum, ut Agathocles Calliam Antandrumque laudatores ac rerum a se gestarum praecones habuerunt, sic Silenus Sosilusque Hannibalis rerum gestarum ipsi spectatores eas diligentissime memoriae mandarunt.

Propterea Polybius Silenum potissimum illius belli scriptorem secutus Fabium qui populi Romani amore studioque multa mentitus est (P. 1. 14) prorsus fere neglexit.

II. Diodorus.

De Diodori l. 24 et 25 fontibus disseruit Collmannus p. 73—79. Non recte autem meo quidem iudicio omnia in Silenum retulit; multo magis Diodorus eundem Romanum scriptorem Fabium sequitur, quo in bello Gallico enarrando utitur.

Diodor 25 f. 18 cf. Fabius f. 17 (M. F. G.).

f. 20—24 primos belli Punici annos tractant. f. 20 Sagunti expugnationem prorsus a *Carthaginiensi* apud Polyb. 3. 17. 8—11 relatione abhorrentem Romanum Fabium, ut puto, secutus narrat. Consentiunt enim Diodorus, Zonaras, Appianus, Livius qui nullo modo ut C. Peter existimat e Sileno pendent Saguntinos aurum argentumque perdidisse mortique fortiter se obtulisse.

Diodor. 25. 20 Zon. 8. 22 (p. 178) App. Iber. 54 Liv. 21. 14

qui omnes e Fabio hauserunt, cum verbo tenus inter se consentiant.

f. 21 Fabianam relationem de secunda Romana legatione a. 218 Carthaginem missa, ut populo Carthaginiensium bellum indiceret tradit, in qua omnes scriptores Fabium sequentes inter se consentiunt.

Diodor. 25. 21.

ὁ πρεσβύτατος τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης πεμφθέντων πρεσβευτῶν ἐν τῷ συνεδρίῳ τῶν Καρχηδονίων δείξας τῇ γερουσίᾳ τὸν κόλπον ἔφησε φέρειν αὐτὸν καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὸν πόλεμον· ἀπολείπειν οὖν τούτων ὁπότερον ἂν οἱ Καρχ. βουληθῶσι. — τοῦ δὲ τῶν Καρχ. βασιλέως εἰπόντος ποιεῖν αὐτὸν ὁπότερον ἂν βούλοιτο ἔφη „τὸν πόλεμον ἐφίημι“. τῶν δὲ Καρχηδονίων οἱ πλείους εὐθὺς ἀνεβόησαν δέχεσθαι.

Pol. 3. 33.

ὁ δὲ πρεσβύτατος αὐτῶν δείξας τοῖς ἐν τῷ συνεδρίῳ τὸν κόλπον, ἐνταῦθα καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς ἔφη καὶ τὴν εἰρήνην φέρειν· ἐκβαλὼν οὖν ὁπότερον ἂν κελεύσωσιν ἀπολείπειν. — ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν Καρχ. ὁπότερον αὐτοῖς φαίνεται, τοῦτ' ἐκβαλεῖν ἐκέλευσε. — τοῦ δὲ Ῥωμαίου φήσαντος τὸν πόλεμον ἐκβαλεῖν, ἀνεφώνησαν ἅμα καὶ πλείους τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου, δέχεσθαι φάσκοντες.

App. Iber. 55.

ὁ μὲν πρεσβευτὴς αὐτοῖς γελώμενος ἔφη τὸν κόλπον ἐπιδεικνὺς „ἐνταῦθ' ὑμῖν, ὦ Καρχ. καὶ τὴν εἰρήνην καὶ τὸν πόλεμον φέρω· ὑμεῖς δ' ὁπότερα αἱρεῖσθε λάβετε". — οἱ δ' ἔφασαν „σὺ μὲν οὖν ἃ βούλει δίδου". προτείναντος δε τὸν πόλεμον ἐξεβόησαν ὁμοῦ πάντες „δεχόμεθα".

Zon. 8. 22. (cf. Dio C. 55. 10.

ὁ Μάρκος ὁ Φάβιος τὰς χεῖρας ὑπὸ τὶ ἱμάτιον ὑποβαλὼν καὶ ὑπτιάσας αὐτὸς ἔφη· ἐγὼ μὲν ἐνταῦθ', ὦ Καρχ., καὶ τὸν πόλεμον καὶ τὴν εἰρήνην φέρω, ὑμεῖς δὲ ὁπότερον αὐτῶν βούλεσθε, ἕλεσθε· ἀποκριθέντων δὲ μηδέτερον μὲν αἱρεῖσθαι, δέχεσθαι δ' ἑτοίμως ὁπότερον καταλείψουσιν, ἐπήγγειλαν αὐτοῖς αὐτίκα τὸν πόλεμον.

Liv. 21. 18.

tum Romanus sinu e toga facto „hic, inquit, vobis bellum et pacem portamus; utrum placet, sumite". sub hanc vocem haud minus ferociter, daret, utrum vellet, succlamatum est. et cum iis iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt, et quibus acciperent animis, isdem se gesturos.

Diodorus, Polybius, Livius Fabio proximam relationem tradidisse mihi videntur, cum e Fabio ipso hauserint.

Diodorum tamen non e Polybio pendere f. 22 Victomelorum expugnatio narrata (cf. Liv. 21. 57) ostendit, quae a Polybio non narratur.

f. 24 brevem a Tzetze in versus redactam Hannibalis vitam e Diodoro ac Dione continet, in qua Fabii narratio facile cognoscenda est. Nova fr. perpauca affert 1) Hamilcaris mortem in pugna ad Iberum contra Iberos (cf. Diod. 25. 14) e Carthaginiensi scriptore, cum Romani fontes aliam mortis narrationem habeant (cf. p. 26).

2) duorum filiorum Hamilcaris aetatem, Hannibalis 15 annos nati, Hasdrubalis 12; Diodorus et Dio igitur Hamilcarem a. 231 mortuum esse narrant, cum Hannibal Hasdrubale a. 221 mortuo imperio suscepto „*χρόνων εἴκοσι γενόμενος καὶ πέντε*“ 25 annos natus fuisse dicatur.

3) in Hasdrubalis locum Hannibalem imperatorem appellatum esse „*χωρὶς συγκλήτου τῆς βουλῆς καὶ τῶν ὑπερεχόντων*“ (quod Pol. 3. 8 *Fabius* narrarat).

Denique fr. brevem sed corruptam belli narrationem continet.

L. XXVI prima fragmenta de rebus a dictatore Fabio gestis pauca tradunt, hic quoque Fabium Diodori fontem fuisse facile intelligimus.

III. Appianus.

1. *Ἰβηρική.*

c. 4—5 bellum Carthaginiensium contra mercenarios gestum tractat, Hamilcaris res gestas in Hispania eiusque mortem annalium traditionem secutus, quam apud Zon. 8. 19 (p. 168) et Frontin. strat. 2. 4. 17 invenimus a Diodoro abhorrentem, qui eum in Hiberi undis periisse scribit in bello contra Iberorum reges gesto apud *λευκὴ ἄκρα* (Liv. 24. 41 castrum Album).

Romanam traditionem quoque factio Barcina memorata ostendit, cui Hamilcar, tum Hasdrubal et Hannibal praefuerint, qui ut regnum suum tutarentur, Carthaginem semper in bella praecipitarint.

c. 6 et 7 res ab Hasdrubale in Hispania gestas continet, eum foederibus et in pace rem Carthaginiensium auxisse, Carthaginienses (non Hasdrubalem, ut Livius Polybiusque narrant) cum Romanis foedus iniisse, ut Hiberus amnis finis utriusque imperii esset.

Foederi Appianus quoque addit:

Liv. 21. 2.	App. Iber. 7.	Zon. 8. 21 (176).
Saguntinis mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur.	*Ζακανθαίους δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἐν Ἰβηρίᾳ Ἕλληνας αὐτονόμους καὶ ἐλευθέρους εἶναι.*	*Ζακανθαίους ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Καρχηδονίους συνθήκαις ἐξαιρέτους ἐπεποιήκεσαν.*

quae verba apud Pol. 3. 27. 9, 3. 29—30, qui antiquissimam atque optimam illius foederis formam tradidit, desunt. Quae traditio meo quidem iudicio Romanum scriptorem ostendit, qui iniuriam, quam Roma sociis relictis commiserat, dissimulabat. Eandem sententiam enim App. Iber. 11 invenimus in consiliis de Saguntinis mittendo auxilio, ubi quidam senatores auxilium mittendum esse negant „*λέγοντες ἐλευθέρους ἔτι καὶ τοὺς πολιορκουμένους εἶναι*“.

c. 8 et 9 continent Hasdrubalis mortem per servum ob iram interfecti domini (Liv. 21. 2), Carthaginiensium optimatum odium in Hannibalem eiusque factionem, postquam imperium Hasdrubale defuncto ab exercitu accepit, quo motus Hannibal Romanis bellum intulit.

Appianus illi Fabianae relationi (Pol. 3. 8) Hannibalis regnandi cupidinem belli causam fuisse pauca addit populum Carthaginiensium quoque Hannibali infestum fuisse.

c. 10—12 primordia belli usque ad Saguntum excisum traditi.

De litis inter Saguntinos Torboletasque (Liv. 21. 6 Turdetanos) primordiis Appianus nonnulla nova ac certiora affert. Saguntinos a Torboletis lacessitos legatos Carthaginem misisse, Hannibalem tamen senatum deceptum eo permovisse, ut sibi mandaret „*πράττειν ἐς Ζακανθαίους ὅτι δοκιμάσειεν*“, tum Saguntinos in Romanam fidem se dedisse, quae omnia melius quam Livius et Polybius, qui breviter tantum has res attingunt, narrat.

Sagunti expugnationem (cf. p. 24), primam Romanam legationem in Hispaniam missam absque Hannibale repulsam Carthagine querelas protulisse, Romae consilia de auxilio mittendo inita, haec omnia apud Diodorum, Zonaram, Livium, qui annales sequuntur, legimus, non tamen in Polybii Carthaginiensi relatione.

c. 13 secundam Romanam legationem Carthaginem missam continet (p. 25).

c. 14. P. Cornelium Scipionem in Hispaniam missum esse cum 60 navibus, 10000 p., 700 eq. (Liv. 21. 16: 60 quinq. 2 legg. et eq. 14000 p. soc. 1600 eq. s.) tradit.

Perscrutantes Appiani traditionem de annalium aut Romano scriptore eum, nec de Livio nec de Polybio sed *de posteriore annalium scriptore* pendere videmus.

2. *Ἀννιβαϊκή.*

c. 1—3 res domi militiaeque ab Hamilcare Hasdrubale, Hannibale gestas ante a. 218 continent.

4. Hannibalem cum 90000 p. 12000 eq. (cf. Liv. et Polyb.) a Carthagine Nova profectum per Alpes iter fecisse in Padi campos (*δίοδος Ἀννίβου*), acetoque ad saxum molliendum (Liv. 21. 37) usum esse narrat.

5—6 continet res in Italia ab Hannibale gestas usque

ad pugnam ad Trebiam, proelium equestre ad Ticinum commissum, Romanos Placentiam profectos, Hannibalem Padum transiisse.

7. SemproniusScipioni se iungit, (utriusque castra 40 stadia distantia,) pugna ad Trebiam, quae nonnullis certioribus relationibus illustrata in annalium scriptorem referenda est (*Ἀνν. ἐς δευτέραν ὥραν ἀνέπαυε*); in acie describenda consentit cum Polybio, in pugna enarranda annalium scriptorem aut militis gregarii narrationem sequitur.

Insidiae a Magone locatae non narrantur; pugna praecipue circa elephantos commissa est, quorum odorem atque adspectum Romani equi tolerare non possunt (Liv. 21. 55), qui tum a Romanis *πελτοῖς* (Liv. velites) fortiter impugnantur; clades et fuga Romani exercitus in castra, hibernae expeditiones eodem modo narrantur, quo Livius eas tradit. Nam exercitum a Scipione vulnerato Cremonam reductum esse, Hannibalem in *ἐπίνειον βραχὺ Πλακεντίας* impetum fecisse (Liv. 21. 57 Emporium), 400 v. amisisse, ac vulnere accepto in Padi campis hiberna posuisse, Romanos Cremonam et Placentiam in hiberna rediisse narrat.

c. 8 Romae novae legiones circumscribuntur 13 *legg. à* 5000 *p.* 300 *eq.* ac duplex sociorum numerus. Copiae in Hispaniam, Sardiniam, Siciliam dimittuntur (cf. Pol.) et multae in Hannibalem sub Cn. Servilio C. Flaminio coss., quorum Servilius Scipionis exercitum in Pado accipit, Flaminius cum 30000 p. 3000 eq. Italiae praesidio Apenninum insidet; Scipio proconsul in Hispaniam missus.

c. 9. Hannibal per Etruriam Romam proficiscitur, contra eum *C. Centenius vir privatus* (*ἰδιώτης*) *cum* 8000 *v. Roma* dimissus in Umbriam *ad fauces in λίμνῃ Πλειστίνῃ insidendas* (Liv. et Pol. Centenium legatum Servilii cum 4000 v. missum esse tradunt).

Flaminius contra Hannibalem citissime profectus ad

lacum Trasimenum victus cum 20000 *v.* (Liv. 22. 7 e Fabio, Polyb. e Sileno 15000 R. †) caesus, 10000 R. a Maharbale in vico capti (Pol. Liv. 6000) Romani vincti, socii absoluti, praeda partita; Servilius a Pado cum 40000 *v.* in Etruriam profectus.

c. 11 Centenii clades in lacu Pleistine Maharbale cum expeditis (*ψιλοί*) a tergo, Hannibale a fronte eum aggredientibus; 3000 R. † 800 R. capti, ceteri fugere. terror Romae illatus, senes armantur, spoliis opimis e templis sumtis, Fabii Max. dictatura.

Hic quoque Livium Polybium eorumque fontes Caelium, Valerium Ant., Silenum, Fabium Appianus certe *non* sequitur, sed veterem annalium scriptorem, cum multa nova et diversa afferat.

c. 12 Hannibalis iter in mare Ionium, ora maritima vastatur, Servilius rebus in Gallis prospere gestis contra eum profectus Arimini castra locat, unius diei spatium ab Hannibale distantia. Fabii dictatura, aequatum imperium inter Fabium Minuciumque narratur.

c. 13—15. Hannibal exercitum servat accensis sarmentis ad cornua boum adligatis, Fabio castra in colle locante (Liv. et Pol.), praesidio Romano 4000 v. (Pol. et Plut.) in faucibus (*διοδος στενή*) locato.

Praeter novam narrationem 5000 *captivos* Romanos ab Hannibale *caesos esse*, Appianus nonnulla a Livii Polybiique traditione abhorrentia in transitu describendo narrat, praecipue quoque Hannibalem *post* aequatum imperium dictatorum hunc transitum fecisse, dum Liv. Polybiusque aequatum imperium post illum Hannibalis transitum in hibernis a. 217 narrant.

c. 16. Hannibal hiberna in horreis Romanis ante Gereonium Apuliae oppidum agit, castra Fabii 10 stadia distantia ab Carth. ultra Aufidum (Liv. in pugna Cannensi).

Fabius dictatura se abdicat, Servilius et Atilius res prospere gerunt. In Hannibalis legatione Carthaginem missa quae auxilium argentumque peteret et repulsa describenda annalium scriptorem non tamen Polybium Silenumque sequitur.

c. 17. Romani cum 4 legionibus L. Aemilium et Ter. Varronem dimittunt ut pugna rem dimicent. Romanae copiae 70000 p. 6000 eq. (Pol. 80000 p. 6000 eq. Liv 87200 p.).

Contiones in castris Romanis, quibus Aemilius et Servilius contra Varronis, senatorum et equitum impetum rem dilatandam esse censent; Hannibalis impetus in frumentatores, Varro Aemilii verbis et infelicium auspiciorum nuntio impeditus quominus protinus dimicaret.

c. 19 pugna Cannensis.

Aemilius Varroni cedit, primo die Hannibal pugnam negat, postero die Varrone imperante aciem instruit.

In acie describenda Appianus multum a Polybio Livioque differt, cum Romanam illam aciem ordinatam per principes, hastatos et triarios (*εἰς τρία τεταγμένοι*) tradat, quae ad annalium scriptorem pertinet, de quo tota pugnae descriptio quoque pendet.

Hannibal insidias locat, vento utitur, 500 Celtiberos (Liv. 500 Numidas) praeter longos gladios brevioribus mucronibus armat ad impetum a tergo Romanis inferendum; acies trifariam instructa, pugna secunda hora commissa omnia haec annalium scriptorem, minime vero Silenum, quem Livius Polybiusque sequuntur, Appiani fuisse fontem ostendunt.

c. 25 pugnae tempus Romanorumque caedem 50000 v. † (cf. Plut. Liv. 48200 †, Pol. 70000 †) tradit.

c. 26 Hannibal ad stragem spectandam exit, eius lamentationes; 10000 v. *sub P. Sempronio duce* Canusium e castris maioribus fugiunt; 5000 v. in minoribus castris capti

ab Hannibale. Ceteri a Varrone collecti qui imperium Scipioni (χιλίαρχος) tradit Romamque proficiscitur.

Tota huius pugnae descriptio annalium scriptoris est, nil enim Polybianae traditionis de acie lunata etc. audimus. Illa quatuor strategemata Hannibalis, quae omnia praeter insidias in Livio quoque reperiuntur, Romanis gravissimam huius belli cladem inferunt.

c. 27 clades Romae nuntiata; Q. Fabius Pictor „συγγραφεύς τῶνδε τῶν ἔργων" Delphos missus, 8000 servi armati, Claudius Marcellus cum 10000 v. 2000 eq. Teanum contra Hannibalem missus.

c. 28 tertiam legationis de captivis redimendis missae narrationem App. tradit Cn. Sempronium cum 2 captivis Romam missum precibus frustra in senatu adhibitis rediisse ad Hannibalem, Hannibalisque in captivos crudelitatem (cf. Zon. 9. 2 p. 201, Diod. 25. 25).

Appianum a Livio Polybio eorumque fontibus Valerio Antiate, Caelio, Fabio, Sileno non pendere vidimus, quia multa nova, quae e posteriore annalium scriptore hausit, et multa ab illorum narratione abhorrentia tradit. Fortasse Appianus Sempronium scriptorem sequitur, cum Sempronius Romae post cladem Cannensem 10000 v. servet, Sempronius iusiurandum quod Hannibali dedit conservet et captivus ad Hannibalem redeat, dum apud Livium P. Sempronius Tuditanus cum 600 v. evadit et legatorum de captivis redimendis missorum nomina valde variant. Quamobrem fortasse hic iam Sempronii Asellionis aut Sempronii Tuditani vestigia sunt. In Ibericis (87) Appianum Asellionem secutum esse fr. 5 ostendit; e fr. 6 Asellionem diu sub P. Scipione Africano in Hispania stipendia meruisse itaque nova de Hispaniae rebus afferre potuisse videmus.

IV. Dio Cassius et Zonaras.

Zonaram Cassii Dionis Romanam historiam brevius conscripsisse notum est. Niebuhrii sententia C. Dionem e Fabio Pictore hausisse nondum probata sed multis in locis, ut videbimus verisimilis est. Dionem prorsus e Livio dependere, ut Nissen in rebus, quae IV et V decadi Livianae correspondent, a Dione narratis existimat, hanc sententiam in illis partibus l. 7—9, quae III decadi libris XXI et XXII praecipue correspondent, reiciendam esse censeo. Primum Livium et Polybium Dionis fontes non fuisse videamus.

Polybium Dionis fontem fuisse nemo dixit, sed C. Peteri quoque sententiam Dionem Silenum sequi, quam nullo documento nisus protulit, optimo iure reicere possumus.

In brevi Zonarae narratione multa et additamenta et variationes Livianae traditionis, quae ad veteres fontes tantum pertinent reperiuntur:

1) Zon. 8. 22 (p. 179—80) Dio C. fr. 55. 2—8 verba, quae in senatu Romano post Saguntum excisum L. Cornelius Lentulus pro bello gerendo, Fabius pro legatis prius mittendis dixit, quae Pol. 3. 10 quoque e Fabiana traditione memorat „*εἰς ἑκάτερα ῥηθέντας λόγους*".

Quae verba C. Peterum moverunt, ut totam Dionis narrationem in Carthaginienses fontes referret; sed Polybium non in Chaeream Sosylumque sed in Fabium Romanum scriptorem verbis „*ἔνιοι τῶν συγγραφέων*" (20. 1) invehi supra vidimus. cf. p. 9.

2) Zon. 8. 21 (p. 176) Hannibalem post Hasdrubalis mortem 26 annos natum fuisse dicit (cf. Diod. 25. 24).

3) Zon. 8. 22 (p. 180) consilia de bello gerendo in senatu Carthaginiensium inita, ubi Zon. multo fusius praecipue Hasdrubalem pro bello gerendo, Hannonem pro pace habenda dixisse, postremo M. Fabium bellum indixisse, tradit.

4) Zon. 8. 23 Scipio Afric. in proelio ad Ticinum 17 annos natus fuisse dicitur (cf. Pol. 10. 2', Liv. iam pubescens).

5) Zon. 8. 25 (189) nonnulla nova affert de Hannibalis itinere post pugnam ad l. Trasim., Hannibalem Narniam usque progressum, Naris pontem deiectum vidisse et omisso Romano itinere in Campaniam se convertisse.

6) Zon. 8. 26 (192) Hannibalem literis ad senatum missis quibus auxilium implorasset ab illo repulsum esse.

7) Zon. 8. 26 (p. 193) Romanos pecuniae inopia coactos argenteum nummum primo impermistum et purum aere admisto adulterasse.

8) Z. 9. 1 (p. 195) Cn. Scipionem in navali ad Iberi ostia proelio navium vela resecuisse ut Romani alacrius dimicarent.

9) Z. 9. 1 (p. 196) cladem Cannensem Sibyllinis oraculis Marcique vatis divinatione praedictam esse (*Διομηδεῖον πεδίον* cf. Dio. f. 2. 3, Diod. 25. 24).

10) Z. 9. 1 (p. 198) Hannibalem pro pugna Cannensi commissa agrum aratro proscidisse ut in pugna pulvis tolleretur et caesorum cadavera supra in fluvium iniecisse ut a potu abhorrerent Romani.

11) Z. 9. 2 (p. 201) Romanos legatos in Graeciam misisse auxilia vel imperaturos vel mercede conducturos.

Omnia haec additamenta, quorum numerus facile augeri potest, ad annalium scriptorem pertinent; id vero pro certo habemus Livium nullo modo a C. Dione inspectum esse.

Itaque statim in disceptationem vocemus, quibus fontibus usus sit C. Dio. In primordiis Romae describendis ***Fabium*** fortasse praecipuum fontem sequitur.

1) Fabius fr. 4 (Peter) cf. Dio C. fr. 4 b. Aeneae oraculum ad Albam urbem condendam.

2) Fabius fr. 8 cf. Zon. 7. 3 (p. 12) de Tarpeiae morte.

3) Fabius fr. 11ª cf. Zon. 7. 9 (p. 31) qui Tarquinium Superbum non nepotem sed filium Tarquinii Prisci fuisse narrant. cf. Zon. *τοὺς τοῦ Ταρκυνίου παῖδας προὐβάλλετο.*

4) Fabius fr. 12ᵇ = Zon. 7. 11 (p. 38), C. Dio fr. 10. 8 in Jovis templo in monte Tarpeio aedificando caput humanum aperientibus fundamenta templi apparuisse urbisque magnitudinem portendisse.

5) Fabius fr. 17 cf. Zon. 7. 17 (61) Coriolanum usque ad senectutem vixisse apud Volscos narrant (Zon. *ἐκεῖ γηράσας*).

6) Fabius f. 19 (Peter) = Zon. 8. 1 (p. 103) de bello a. 294 in Samnio Etruriaque gesto.

Quare H. Peter hoc loco Fabium cum Dione Cassio consentire negat h. R. r. p. 34, intellegere non possumus. Denique

7) Fabius f. 25 (Pol. 3. 8. 1), quod iam ad Hannibalem pertinet, egregie cum C. Dione et Zonara consentit.

Barcidas Carthagine principatum petisse, Carthaginem in regni formam redigere tentasse, cumque in patria id assequi non potuissent, in Hispania id conatos fuisse narrat; Hasdrubalis Hannibalisque ambitionem regnandique cupidinem, qui in rebus Hispaniae gerendis Carthaginiensium senatum non curassent, gravissimas eius belli contra Carthaginiensium voluntatem gesti causas fuisse. Zon. 8. 18 (p. 164) Hamilcarem a. 238 in Hispaniam iam *παρὰ γνώμην τῶν οἴκοι τελῶν* transiisse tradit.

In morte Hamilcaris enarranda (Z. 8. 19) annalium scriptorem legimus, in verbis Z. 8. 21 (p. 175) *ἐπῆρε δὲ τοῦτον τὸν πόλεμον μάλιστα ὁ Ἀννίβας στρατηγῶν τῶν Καρχ.* et praecipue

Dio C. fr. 54. 11.

καὶ ταῦτα μέντοι αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἄνευ τοῦ κοινοῦ τῶν Καρχηδονίων κατέπραξεν κτλ.

Fabius in Pol. 3. 8. 6.

διὸ καὶ νῦν τὸν πόλεμον τοῦτον ἐξενηνοχέναι κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν Ῥωμαίοις παρὰ τὴν Καρχηδονίων γνώμην.

Fabianam sententiam de bello ab Hannibale Romanis illato legimus. Bellum a factione Barcina et Hannibale contractum esse id saepius apparet in Zonarae narratione; memorat enim eam Z. 8. 22 (p. 178) *οἱ δὲ τῷ Ἀννίβᾳ προσκείμενοι*, qui primam Romanam legationem Carthaginem missam repellunt, 8. 22 (p. 180) „*Ἀσδρούβας εἷς τῶν ὑπὸ τοῦ Ἀννίβου προπαρεσκευασμένων*", qui in secunda legatione Annoni optimatium duci se opponit et bellum gerendum esse censet.

Secunda quoque pars illius Fabiani fr. 25, quae secundam Romanam legationem ad bellum indicendum Carthaginem missam narrat in Zonarae narratione reperitur, ut postea videbimus. Quae legatio a Fabio tradita in omnes scriptores transiit, et apud Livium ut infra videbimus, bis reperitur, si Livii rationem, qua fontes contaminavit et composuit, diligentius perlustramus.

Multa Fabii fragmenta, quae adhuc exstant, in Dionis et Zonarae relatione inveniri vidimus; propterea Fabii annales a C. Dione inspectos esse verisimile est.

Praeterea Plutarchus quoque inter C. Dionis fontes enumerandus est, ut Plutarchi vita Romuli tota in Zon. 7. 2—5 reperitur.

Tandem illam quaestionem instituere quoque liceat, si Caelii Antipatri bellum Punicum a Dione in usum vocatum sit. Multa ad eam sententiam bene quadrant, magnus con-

sensus inter Livi ac Dionis narrationem, tum fragmenta aliquot Caeliana.

1) Caelius f. 11 cf. Zon. 8. 22 (p. 181) (Peter h. r. R. p. 149) Hannibalis somnium, ubi Zonarae narratio cum Caeliana apud Cic. de div. 1. 24. 49 melius consentit, quam Livii 21. 22. 5, qui famam sequitur.

2) Caelius f. 18 (Liv. 21. 47) cf. Zon. 8. 24 (p. 184) Hannibalis Padi transitus.

3) Caelius f. 21 (Liv. 22. 31. 8) cf. Zon. 8. 26 (p 190)

Caelius etiam Fabium primum *a populo* creatum dictatorem scribit.	*δικτάτορα τε προχειρίσασθαι βουληθέντες αὐτοὶ ἐν ἐκκλησίᾳ αὐτὸν ἀνεῖπον.*

4) in Hannibalis moribus ac virtutibus describendis egregie consentit Liviana narratio (21. 3—4), quae Caelium ut videbimus sequitur cum C. Dione f. 54. 1—3.

Liv. 21. 3.	C. Dio.
equitum peditumque idem longe primus . . .	*καὶ θεῖν καὶ συνίστασθαι ἱππεύειν τε ἀνὰ κράτος ἀσφαλῶς ἐδύνατο.*
cibi potionisque desiderio naturali non voluntate modus finitus.	*καὶ οὔτε πλήθει ποτε τροφῆς οὔτε ἐνδείᾳ ἔκαμνεν, ἀλλ' ἐν ἴσῳ καὶ τὸ ἔλαττον ὡς καὶ αὐταρκὲς ἑκάτερον ἐλάμβανεν.*

5) Sagunti expugnationem Zonaras eodem fere modo narrat, quo Livius, qui Caelium sequitur.

6) Liv. 21. 37 *e Caelio* Hannibalem ad Rhodanum incertum fuisse narrat, utrum coeptum in Italiam iter intenderet an reverteretur, cf. Zon. 8. 23 (p. 183) *ἔχει δὲ λόγος ὅτι καὶ αὐτὸς ἀνέστρεψεν ἂν, εἰ μὴ πλείων καὶ ἀπορωτέρα ἡ προδιηνυσμένη ὁδὸς τῆς λειπομένης ἐτύγχανε.*

7) Liv. 22. 4 cf Zon. 8. 25 (188) in pugna ad l. Trasimenum Flaminius

inexplorato postero die augustiis superatis . .	*εἰς τὸ στενὸν ἀπερισκέπτως εἰσῆλθε.*

Sed omnes hae narrationes Zonaram nisi Romanum scriptorem secutum esse non ostendunt, fortasse Caelium aut Romanum Caelii fontem; in pugnis describendis, ubi Liviana narratio Caelium praecipue sequitur, Zonaras brevissime narrat, ut eius fontes nequeamus perspicere.

Id vero certissime Dionem Cassium Silenum secutum esse, quod C. Peter (Liv. et Polyb. p. 80) et Bujack (de Sileno scriptore Hann. p. 6) scripserunt, negare possumus. Fabii et Caelii vestigia in rebus a Zonara narrandis inveniuntur, quae omnia *Romanum* eius fontem demonstrant.

V. Plutarchus.

De Plutarchi fontibus in bello Punico secundo enarrando disseruit G. Soltau (Bonn 1870), qui cum H. Petero (die Qu. Plut. in d. Leben der Römer p. 56) in tota Fabii vita, non Livium a Plutarcho accitum esse sed Livii Valeriique Maximi auctorem Caelium Ant. intelligit. Friedersdorffius in recensione quaestionum Soltavii (Gött. Gel. Anz. 1871) eum refutare conatus cum Car. Petero (Livius u. Polyb. p. 59 ff.) Livio ipso usum esse Plutarchum in Fabii vita existimat.

Causae quae Soltavium moverunt ut C. Peteri sententiae obstaret sunt hae:

1) v. Fab. 4 (cf. Liv. 22. 9—10) Plutarchus priscae formulae verba nonnulla addit „*ὅσην Ἰταλίας ὄρη κτλ.*“

2) v. Fab. 7 (cf. Liv. 22. 23) duabus narratiunculis Hannibalem Q. Fabii Max. dictatoris agro pepercisse et

Fabium impendio privato in captivis permutandis fidem publicam exsolvisse Plutarchi verba immista esse „*καὶ πολλὰ μὲν αὐτοῦ πρὸς τὸν ὄχλον οἱ δήμαρχοι κατεβόων, ἐπάγοντος μάλιστα Μετιλίου καὶ παροξύνοντος, ὃς οὐ κατὰ τὴν πρὸς Φάβιον ἔχθραν, ἀλλ' οἰκεῖος ὢν Μινουκίου τοῦ ἱππάρχου, τιμὴν ᾤετο καὶ δόξαν ἐκείνῳ φέρειν τὰς τούτου διαβολάς.*“

3) v. Fab. 8 (cf. Liv. 22. 35) Metilium duabus orationibus in Fabium invehi, quas Livius in unam contraxerit. Plutarchus omnino contiones de aequando imperio multo fusius narrat quam Livius, qui C. Terentium Varronem legis suasorem fuisse narrat.

4) v. Fab. 21—22 (cf. Liv. 27. 15—16) in Tarento capto enarrando Plut. multa addidisse, quae in Livii narratione non inveniantur. Sed recte Friedersdorff (l. c. p. 1470) illic Plutarchum plures narrationes inspexisse vidit, quod verbis *ταῦτα μὲν οὖν οἱ πλεῖστοι γράφουσι περὶ τούτων, ἔνιοι δὲ κτλ.* ostendit, quae verba meo quidem iudicio aliis additis (Fab. c. 1. c. 16 et c. 21) non ex uno fonte continuo descriptam esse Fabii vitam ostendunt, sed Plutarchum multa legisse et tum illam vitam scripsisse.

5) v. Fab. 2. 4—14 Fabium portentis post proelium ad Trebiam commissum undique nuntiatis non timefactum cives hortatum esse Plut. solus tradit.

Qui additamentorum Livianae narrationi iniectorum numerus facile augeri potuisset, si Soltau nostro „placuisset omnia Fabii vitae capita cum Livio comparare“ (p. 87). Plutarchus solus tradit

1) c. 3 cladem ad Trebiam acceptam neque ab imperatore neque nuntio Romae auditam esse (cf. Pol. 3. 75. 1).

2) c. 4 in dictatura describenda Fabium equum petisse

et cum 24 lictoribus (cf. Pol. 3. 87. 7) C. Servilio obviam isse.

3) c. 6 Hannibalem errore *μετὰ δεῖπνον* Casilinum a ducibus ductum esse.

4) c. 6 saltus, quibus Hannibal e Campania ducturus erat, a 4000 Romanis militibus obsessos fuisse (cf. Pol. 3. 92. 10).

5) c. 7 Fabium dolum sensisse bovibus quibusdam in castra Rom. currentibus.

6) c. 8 Metelli contiones multo fusius quam a Livio narrantur;

7) c. 11 in clade Minuciana *Numidas* praecipue Romanos lacessisse, qui a Liv. 22. 38 non vocantur.

8) c. 15 Terentium Varronem ante pugnam Cannensem commissam pugnae signum *χιτὼν κόκκινος* in praetorio collocasse.

9) Hannibalis verba Gisgoni facta.

10) c. 16 Cornelium Lentulum, qui vulnerato consuli Aemilio equum obtulerit *εὐπατρίδης* fuisse.

11) c. 17 non Maharbalem (ut CAELIUS cf. Gell. 10. 24. 6, Liv. 22. 51—Cato) sed *Barcam* dixisse „*σὺ νικᾶν οἶδας, νίκῃ δὲ χρῆσθαι οὐκ οἶδας.*“

Praeterea Fabii mores et res gestae in tota Plutarchi vita praecipue enarrantur; nonnulla quae apud Liv. senatus populusque Romanus agunt, apud Plut. ad Fabium referuntur (cf. Plut. Fab. 4 et 16).

Soltau C. Peteri sententiam Livium solum a Plutarcho in usum vocatum esse meo quidem iudicio recte refellit; nam additamentorum numerum tantum invenimus, ut non Livium solum sed alium quoque scriptorem Plutarchum secutum esse eluceat; Soltau Plutarchi fontem Caelium Ant. fuisse adsentiente H. Peter existimat; sed argumenta quae ad sententiam sustinendam profert, probare nequimus, cum

omnes narrationes, quas Caelianas existimat (prodigia ante pugnam ad l. Trasumenum, terrae motus, Romae terror clade nuntiata), eodem modo a Livio tradantur; quamobrem praeter Livium alterum rerum scriptorem Valerium Antiatem a Plutarcho in usum vocatum esse existimo.

In vita Valerii Poplicolae aliisque vitis describendis Valerium Antiatem Plutarchum secutum esse H. Peter (l. c. p. 45) egregie demonstravit. In vita T. Quintii Flaminini describenda Valerium Antiatem, Livium et Ciceronem auctores nominat (c. 18); quare in Fabii vita quoque enarranda Livium eum non prorsus neglexisse verisimillimum est. Hoc modo et similitudo et parvae discrepantiae Livii Plutarchique narrationis optime declarantur, cum uterque ex eodem fonte Valerio Antiate hauserit.

In dictatura Fabii describenda Plut. c. 4, ut vidimus solus Fabium equum petisse narrat, quod meo quidem iudicio ad Valerium Antiatem pertinet. Liv. 22. 31 enim dicit: „*Omnium prope annales* Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt; eo decursum est, ut a populo crearetur qui pro dictatore esset, cf. 22. 8 „prodictatorem creavit populus Fabium Max".

Livius ut videbimus Valerium Antiatem illis in partibus sequitur. E Plut. Fab. 4 dictatori non licuisse equo vehi videmus; sed prodictatori licebat; propterea Plutarchi verba Fabium ἵππῳ χρῆσθαι Liviique narrationem Fabium pro dictatorem non dictatorem fuisse iungas et ad Valerium Antiatem utriusque fontem referas.

Plutarchi narrationem multo magis ad Valerium Antiatem quam ad Livium referendam esse videbis, si contiones de aequando inter Minucium Fabiumque imperio ab utroque autore narratas diligentius comparas. Livius M. Metelli trib. pl. orationes, quae apud Plut. c. 8—9 duae exstant, in unam contraxit (c. 23), additis modo verbis „hu-

ius generis orationibus frustra habitis," quare veterem annalium traditionem Valerii Antiatis brevius secutus esse probatur.

Uterque Livius et Plutarchus in *rebus* urbanis enarrandis eundem scriptorem Valerium Antiatem sequitur, Livius breviorem in modum, Plutarchus exactius; in *orationibus* tamen Livium multo fusiorem abundantioremque quam Plutarchum invenimus, qui Valerii Antiatis vestigia artius pressit.

cf. Plut. Fab. c. 7 cf. Liv. 22. 23. qui duas res ad augendam dictatoris invidiam a Plutarcho multo fusius narratas contraxit; contra

Plut. Fab. 13 cf. Liv. 22. 29—30. orationes servati a Fabio Minucii quas Livius elegantius exornavit.

Praeterea Livianam Plutarchique traditionem in iis maxime partibus consentire videmus, quibus Valerium Antiatem Livii praecipuum auctorem fuisse ostendemus (cf. C. Peter l. c. p. 61, qui omnes locos conspirantes contulit).

Denique Plutarchus Valerium Antiatem neque tamen Caelium neque Livium secutus esse c. 17 demonstratur, ubi Caelianum illud Plutarchus „diequenti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta" non Maharbalem (Caelius ap. Gell. N. A. 10. 24. 6) sed Barcam quendam dixisse narrat.

Itaque recte Plutarchus in vita Fabii ut in Valerii Popl. et Flaminii scribendis Valerium Ant. praecipuum auctorem secutus esse colligi potest.

VI. Cornelius Nepos.

In vitis Hamilcaris Hannibalisque enarrandis nonnulla, quae ab alia traditione abhorrent, accuratius quamquam perbrevissime tradita invenimus:

1) Ham. 4 Hamilcarem in pugna contra *Vettones* commissa caesum esse.

2) Hann. 3 Hannibalem sub Hasdrubale imperatore equitatui praefuisse, post eius mortem imperatorem ab exercitu factum publice comprobatum triennio omnis Hispaniae gentes bello subegisse.

3) Alpes *Graias* transiisse,

4) cum Scipione *Clastidii* apud Padum pugnasse sauciumque eum dimisisse,

5) gravi oculorum morbo affectum, ut postea *dextro* nusquam aeque bene usus sit, *lectica*que (non ut Liv. 22. 3, Polyb. uno elephanto) paludes transvectum esse;

6) denique Hannibalis iter in Campaniam fallacisque consilii apparatum bovibus in saltum instigatis a. 215 post pugnam Cannensem Hannibalisque Romanum iter factum esse narrat, ceteri a. 217.

C. Nepos c. 13 v. Hann. Silenum Sosilumque Lacedaemonium vocat, qui in Hannibalis castris vixerunt eiusque res gestas memoriae tradiderunt.

Fortasse ex iis C. Nepos sua hausit, cum nonnulla multo accuratius adsentiente Polybio (cf. 2—3) traderet, et interdum tantum inconsulte in rebus enarrandis temporum rationem neglexit.

VII. Livius l. XXI et XXII.

Quaestionibus de Livii fontibus non defuerunt qui incubuerint.

Boettcherus, qui nuper de hac re egregie disseruit omnes, qui illam in quaestionem vocaverunt, enumeravit (Krit. Untersuch. üb. d. Qu. des Livius im 21. u. 22. B. Fleckeis. Ibb. 5 Supplb. 1869 p. 354). Quamquam multum eum profecisse pro certo habeo, cum Caelii et non Polybii vestigia in Liviana narratione indagaret, iam Schaeferus (Sybels hist. Ztschr. 23 p. 436) non recte Boettcherum Caelium unicum Livii auctorem existimasse demonstravit.

Nissenius diu iam Livium in libris a. u. c. componendis maximos ac notissimos annales, qui exstiterint, Valerii Antiatis in usum vocasse ostendit, super quod fundamentum additamentis ex aliis annalium scriptoribus insertis opus suum exstruxit. Quapropter Livius quoque summa diligentia gentis Valeriae triumphos victorias et consulatus enumeravit, cum Valerius Antias gentis suae gloriam augere studeret.

Saepius Livius Valerii dictaturam magnasque ab eo res gestas tradit et in narrationis fine aliam, quae non dictatorem Valerium sed consules anni rem gessisse tradit, adiungit (cf. Liv. 7. 42, 10. 3). E Q. Fabii Pictoris, Calpurnii Pisonis, Claudii Quadr., Aelii Tuberonis etc. annalibus res a Valerio Antiate traditas augebat atque exornabat, ita tamen ut plerumque primum res a Valerio Antiate traditas narraret, tum alia ex aliis adderet aut emendaret, cf. Liv. 10. 37, ubi res a. 294 gestas primum ex incerto quodam auctore (Valerio Antiate?), tum brevius e Claudio Fabioque narrat.

Valerium Antiatem igitur, quem meo quidem iudicio Livius in prima decade scribenda maxime sequitur, in posteris quoque libris non neglexit; multo magis eius narrationem emendavit, ut facile ex eo intellegi potest, quod in libris XXI—XLV vicies quinquies nominatur.

In libro 21 et 22 nullo loco nominatur, eius vestigia tamen indagari possunt; quamobrem C. Boettcheri sententiae Livium eum his in libris prorsus neglexisse et solum optimum Caelium Ant. horum temporum scriptorem adhibuisse adsentire non possum.

Sententiam Livium in l. XXI et XXII describendis Polybium in usum vocasse, quam C Peter et Woelfflin (Caelius Antipater Winterthur 1872) protulerunt, C. Boettcherus egregia illa in Livii fontes inquisitione refellit, et Herm. Peter frustra patris sententiam sustinebat (H. Peter proll. ad Rom. hist. rell. p. 226—7).

Consensum inter Livium Polybiumque B. egregie in communem ab utroque in usum vocatum scriptorem Silenum redegit, quem Polybius ut vidimus exscripsit et quem Livius in Caeliana versione secutus est. Quamobrem in illas quaestiones Boettcheri demonstrare possumus et nostra inquisitio id spectabit, *ut Coelii Valeriique Antiatis et fortasse quoque Fabii Pictoris vestigia indagemus* et suum cuique tribuamus.

In l. XXI Livius decies fontes suos citat 1) c. 1 famam, 2) c. 15 quidam scripsere, Saguntum per 8 menses oppugnatum esse, ubi Caelium et non Polybium citat. 3) c. 25 de triumvirorum a. a. a. nominibus in bello a. 218 contra Boios gesto captorum 4 traditiones recenset:

a) quidam: C. Lutatius, C. Servilius, M. Annius

b) quidam: „ *M. Acilius*, C. Herennius fortasse e Claudio Quadr. qui Acilii annales Latine vertit.

c) quidam: P. Cornelius Asina, C. Papirius Maso.

d) id dubium esse legatine violati sint, an in triumviros a. a. a. impetus sit factus. Livius hoc loco, ut 27. 21 et 30. 19 relationem a et d sequitur, quae illos viros legatos et non triumviros vocat et posterioris annalium scriptoris est; nam antiquissima Fabiana traditio Pol. 3. 40 dicit „*τρεῖς ἄνδρας τοὺς ἐπὶ τὴν διαίρεσιν τῆς χώρας ἀπεσταλμένους.*“

4) c 28 variata memoria elephantorum super Rhodanum traiciendorum ad Romanum et Carthaginiensem scriptorem pertinet ad Silenum Caelianum et Valerium Antiatem (?).

c. 38 quidam auctores Hannibalem quinto mense a Carthagine Nova in Italiam pervenisse, XV die Alpibus superatis, ubi Caelium non Polybium vocat. Caelius enim fr. 15 et 13 diligentissime itineris spatium, quod Hannibal a Carthagine Nova usque ad Padi campos transiit, et Alpium longitudinem (1000000 p.) ex eodem scriptore quo Polybius Sileno tradidit.

Caelius f. 15	Pol. 3. 39. 11
Caelius hist. I duodeciens C. milia passuum longe.	*ὥστ' εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἑνακισχιλίους, οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν.*

6) c. 38 quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores constat

a) qui plurimum: 100000 p. 20000 eq.

b) qui minimum 20000 p. 6000 eq. (cf. Pol. 3. 60.)

c) L. Cincius Alimentus: 80000 p. 10000 eq.

7) vulgo creditur Hannibalem Poenino transgressum esse, Caelium per Cremonis iugum transiisse dicere.

8) c. 46 narrationem P. Cornelium Scipionem ad Ticinum a filio pubescente servatum esse Caelianae traditioni praefert, qui servati consulis decus ad servum natione Ligurem delegat.

9) c 47 potiores auctores Caelii traditioni profert, qui rate Carthaginienses flumen transgressos esse narrant (Silenus).

Liv. 22. 10) c. 7 Fabii aequalis huius belli — „quem potissimum auctorem habui“ - numerum de caede Romana in clade ad l. Trasimenum multiplici ab aliis traditae caedi profert;

11) c. 24 quidam auctores collata acie ante Gereonium dimicatum esse, ubi Caelii Valeriique Antiatis narrationes componit, ut videbimus.

12) c. 32 corrigit ex annalibus (Valerii Ant.?) narrationem omnium *prope* annalium, praecipue Caelii, Fabium non dictatorem sed pro dict. fuisse.

13) c. 36 variant auctores de dilectu a. 216.

a) alii (Caelius?) 10000 n. mil.

b) alii (Val. Ant.?) 4 novae legg. à 5000 p. 400 eq.

14) c. 36 quidam auctores sunt 87200 v. in castris Rom. ad Cannas fuisse.

15) c. 49 dicuntur 45500 p. 2700 eq. † in Cannensi clade (Polyb. e Sileno 70000 v. †).

16) c. 52 quidam auctores,

17) c. 61 verbis „est et alia de captivis fama“ Valerii Antiatis de captivis redimendis traditionem alia Claudii Quadr. sequitur (cf. Acilius f. 3 Cic. de off. 3. 32. 113).

Livium in duobus libris conscribendis semper plures relationes (Caelii et Valerii Antiatis?) inspexisse vidimus. Cincium Alimentum, Claudium quos interdum laudat, alias non sequitur, Fabium fortasse.

Si quoque in sequentibus ll. XXIII—XXX Caelium et Valerium Antiatem identidem citatos eorumque narrationes oppositas invenimus (cf. 1) Liv. 26. 40. „Silenus Graecus autor et Val. Ant.“, 2) L. 27. 46, 3) L. 29. 35), meo qui-

dem iudicio optime Livius hac decade et praecipue in libris 21 et 22 Caelii historias Valeriique Antiatis annales contaminasse, quod ut speramus sequentibus probari potest, existimandus est.

Caelius primus bellum Punicum secundum e Romanis et Carthaginiensibus fontibus composuit historiasque rhetorice exornavit. Praeter Carthaginiensem relationem Sileni (Cic. de div. 1. 24. 49) Romana quoque familiarum historiis, annalibus, Catonis originibus (f. 25), traditione de gente Marcelli (f. 29), laudatione filii Marcelli usus est. Eum saepius falsa et ficta protulisse (f. 39) et omnino historiam scribendam opus oratorium existimasse, ut Cicero ait, perpauca fragmenta ostendunt; sed inter eos optimos sexti seculi historicos numerandus est, quos taedebat annales conficere et res modo narrare Catonem, Polybium, Asellionem, quorum hi plebeiorum Scipionumque gentis laudes ac merita illustrarunt.

Caelium quoque Scipionibus coniunctum fuisse fr. 1 ostendit „Caelius, qui hanc a *Laelio, ad quem scripsit,* veniam petit," proptereaque eum Polybiumque ea maxime de causa ad historiam belli Punici secundi scribendam permotum esse existimo, ut Carthaginiensibus scriptoribus aliaque Romanarum familiarum traditione nisus veterem a Fabio optimatium scriptore traditam illius belli historiam emendaret.

Polybius Caeliusque igitur uterque Fabianae traditioni se opposuit.

Valerius Antias tamen Fabii veteres annales secutus est, ut Plutarchi Diodorique narratio comparata fortasse ostendit.

Plut. Fab. v. 5 e Valerio Antiate	Diodor. 26. 3 e Fabio
οἳ τὸν μὲν Φάβιον σκάπτοντες καὶ καταφρονοῦντες, Ἀννίβου παιδαγωγὸν ἀπεκάλουν.	ὡς δὲ οὐκ ἔπειθεν, ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων ἐβλασφήμει τὸν δικτάτορα, καὶ παιδαγωγὸν ἐπικαλῶν αὐτὸν ὠνείδιζε τὴν δειλίαν.
v. 5	26. 4
ὥσπερ δεινὸς ἀθλητὴς λαβὴν ζητῶν, προσέβαλλε καὶ διετάραττε.	καθάπερ γὰρ ἀθλητὴς ἀγαθὸς πολὺν χρόνον χειραλειπτήσας ἐπὶ τὸν ἀγῶνα καταντᾷ,

Valerius Antias laudavit veteres Romanas gentes Valerios, Fabios senatumque Romanum (cf. fr. 21), Scipiones reprehendit (cf. fr. 25 et fr. 37); numeros, quos traditos accepit, augebat, captos, caesos et signa militaria enumerabat.

Nitschii sententiam locos quibus Livius tam diligenter signorum mil. numerum tradit, e Valerio Antiate haustos esse, certam habeo et me nonnulla alia documenta pro hac sententia probanda prolaturum esse spero.

Quia Caelii opus omnium in manibus erat, a Livio neglegi non potuit; cum vero Livii libri a. u. c. iam titulo annalium formam ostenderent, Livius belli Punici narrationem in certam temporum rationem redegit; itaque annalium scriptorem illum in usum vocavit, qui ab initio librorum a. u. c. fundamentum fuerat, Valerii Antiatis annales, quos in legationibus, prodigiis, contionibus, comitiis omninoque in rebus urbanis enarrandis secutus est

Quamobrem ut in quarta et quinta decade Livii sic quoque in tertia duas traditiones secernendas esse censeo, quarum alteram res foris gestas e Caelio auctore, alteram res domi gestas res urbanas e Valerio Antiate descripsit

Livius; nonnunquam tamen Livium in rebus bellicis quoque enarrandis Valerium Antiatem secutum esse itaque in errores atque inter se pugnantia incidisse videbimus.

L. XXI.

c. 1—16.

Exordia belli enarrantur usque ad Saguntum excisum a. 219.

I. c. 1—6.

Iuventus et indoles Hannibalis; primae ab eo res gestae in Hispania usque ad Sagunti expugnationem.

De belli Punici secundi magnitudine Livius et Zonaras consentiunt, uterque Caelium (?) secutus.

Liv. 21. 1 cf. Zon. 8. 21 (p. 175).

Iusiurandum, quod Hannibal patri dedit, verbis „fama est" traditur. De quo iureiurando, ut video 4 traditiones habemus 1) Corn. Nep. Hann. 2. 3—5, 2) Pol. 3. 11. 5—9 uterque e Sileno; 3) Liv. 21. 1 cf. Val. Max. 9. 3. 3 et 4) Zon. 8. 21. p. 175 e Caelio.

Livius solus Hannibalem vixdum puberem ab Hasdrubale literis in Hispaniam accitum esse remque actam esse in senatu inter factionem Barcinam (quam Polyb. nusquam memorat) et optimatium ducem Hannonem.

E Livio c. 4 a. 224 eum dimissum esse videmus (triennio etc.). Ceteri omnes (Diod. 25. 21 et 24, Zon. 8. 21) per totum illud tempus ab a. 238—221 eum in Hispania stipendia meruisse narrant (cf. Liv. 30. 30 et 30. 37. 9). E Caelii fr. 4 hanc narrationem in Caelium reiciendam esse videmus (cf. Peter h. R. rell. p. 148).

c. 4 in Hannibalis moribus describendis Livius et Dio (f. 54. 1—9) consentiunt.

c. 5 Livius statim Hannibalem Saguntinis inferre bellum statuisse narrat (cf. Zon. 8. 21 p. 176); Polybius Silenum secutus 3. 11. 10 dicit *ταύτης τῆς πόλεως ἐπειρᾶτο κατὰ δύναμιν ἀπέχεσθαι.*

In rebus ab Hannibale in Hispania gestis enarrandis Polybium et Livium egregie consentire, non tamen alium ab alio pendere sed unum scriptorem secutum esse Silenum Polybium, Livium Caelium iam Boettcherus ostendit (l. c. p. 365 ff.).

Ubique in hac parte (c. 1—6) Livium egregie cum C. Dione consentire videmus; uterque ut existimo e *Caelio* hausit.

II.

c. 6 prima Romanorum legatio in Hispaniam missa narratur. Livius legatos Saguntinorum auxilium contra Turdetanos orantes a. 218 P. Cornelio Scipione et Tib. Sempronio Longo Romam missos esse tradit, rem ad senatum relatam, placitumque mitti legatos ad res sociorum inspiciendas; tum cum Saguntum oppugnari adlatum esset, P. Valerium Flaccum et Q. Baebium Tamphilum Saguntum et inde Carthaginem missos esse. Huius primae legationis Pol. 3. 15. 2, Zon. 8. 21 (177), App. Iber. 11. (54), Cic. Phil. 5. 27 mentionem fecerunt, sed mandata variata narrant:.

Liv. 21. 6.

si non absisteretur bello, *ad ducem ipsum in poenam foederis rupti deposcendum.*

Cic. Phil. 5. 27.

non enim ad Hannibalem mittimus, ut a Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum et Q.

Baebium Tampilum, qui si Hannibal non pareret, Carthaginem ire iussi sunt.

Pol. 3. 15. 2.

πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν τοὺς ἐπισκεψομένους ὑπὲρ τῶν προσπιπτόντων.

Zon. 8. 21. (177).

οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πρέσβεις πρὸς ἐκεῖνον πέμψαντες μὴ πελάζειν τοῖς Ζακανθαίοις ἐκέλευον, καὶ εἰ μὴ πείθοιτο, ἐς τὴν Καρχηδόνα πλεῦσαι εὐθὺς καὶ κατηγορῆσαι αὐτοῦ ἐπηπείλησαν.

App. Iber. 11.

πρέσβεις, οἳ πρῶτον μὲν Ἀννίβαν ἔμελλον ὑπομνήσειν τῶν συγκειμένων, οὐ πειθομένου δὲ ἐς Καρχηδόνα πλευσεῖσθαι κατ' αὐτοῦ.

Livius solus tunc iam primam Romanorum legationem Hannibalem expoposcisse narrat, ceteri scriptores omnes secundae legationis Rom. a. 218 missae mandatum fuisse tradunt.

III.

c. 7—9 Livius Saguntum oppugnari coeptum narrat e Caelio (cf. Boettcher p. 366 sqq.).

IV.

c. 9—11 iterum apud Livium annalium scriptorum narrationem, legationem non admissam in Carthaginiensium castra legimus (cf. Zon. 8. 21 p. 177, App. Iber. 11 p. 54), dum Polybius Silenum secutus acceptam eam esse ab Hannibale tradit 3. 15. 4 *καταλαβὼν δὲ τὴν παρὰ τῶν Ῥωμαίων πρεσβείαν, καὶ δοὺς αὐτὸν εἰς ἔντευξιν διήκουε.*

Tum legatos Carthaginem profectos esse ibique Hannibalem depoposcisse Livius narrat. Qua in re Livium singularem traditionem secutum esse videmus, quae ab aliis abhorret.

Primum errat Livius si a. 218 Saguntum oppugnari coeptum esse narrat, quod iam a. 219 factum est; legatio prima quoque missa est 220/19. Porro legatorum mandata ab aliorum traditione discrepant; praeterea in tota illa legatione enarranda prorsus a Sileno Polybii fonte abhorrens Romanum annalium scriptorem sequitur.

Quare meo quidem iudicio 1) in tota illa legatione enarranda Livius annalium scriptorem — non tamen Caelium — secutus esse colligi potest, et 2) e mandatorum forma Livius secundam Romanorum legationem a. 218 ad Hannibalem exposcendum missam iam hoc loco ex annalium scriptore narrasse itaque in magnum errorem incidisse.

Omnia Valerium Antiatem Livianum fontem ostendere mihi videntur, posteriorem annalium scriptorem:

1) cognomina memorata P. Cornelius Scipio, Ti. Sempronius Longus, P. Valerius Flaccus, Q. Baebius Tampilus quae nisi in VII seculi scriptoribus non exstant.

2) Nomen „P. *Valerius* Flaccus" legati Romani ad foederis ruptorem Hannibalem deposcendum. Duorum legatorum Valerii Baebiique nomina apud Ciceronem l. c. quoque inveniuntur.

Ciceronem autem Valerii Antiatis annales cognosse et legisse satis constat cf. fr. 37 Ascon. in Cic. Cornel. p. 690 „et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem (Antiatem) secutus Cicero dixisse passum esse Scipionem etc."

Quamobrem et Ciceronem et Livium 21 c. 6 et c. 9—11 e Valerii Antiatis annalibus hausisse eam primae Romanae legationis narrationem existimo.

III et V.

Sagunti oppugnatio c. 7—9, c. 11—15. Hic quoque praeter multas e Carthaginiensibus scriptoribus haustas narrationes nonnulla, quae ad annalium scriptorem pertinent,

invenimus. Caelius in rebus bellicis enarrandis Carthaginiensem et Romanam traditionem contaminavit, Livius eius historias sequitur.

1) Carthaginienses narrationes:

a) in describendo urbis situ Livius cum Polybio Zonaraque consentit.

Liv. 21. 7 cf. Pol. 3. 17. 2 cf. Zon. 8. 21 p. 176
e Caelio e Sileno e Caelio?

b) in distribuenda praeda capta uterque Silenum sequitur Liv. 21. 15 cf. Pol. 3. 17. 10. Caelius idemque Livius huic Carthaginiensi relationi Romanam coniunxit „primores argentum aurumque omne e publico privatoque in forum collatum in ignem conicientes eodem plerosque semet ipsos praecipitasse," quae ut vidimus (cf. p. 24) Fabius tradidit.

Praeterea Livius multa in urbis oppugnatione narranda multo diligentius quam Polybius tradit, quae certe Caelius e Sileno Carthaginiensi fonte hausit.

VI.

c. 15 Livius se ipsum aut fontes suos corrigit et narrationem, quam duobus e scriptoribus contaminavit, chronologicis erroribus liberare studet. Plures narrationes ei propositas esse verbis „quidam scripsere" elucet, „octavo mense" etc.

Quam Caelii narrationem Livius in Valerii Antiatis annales fundamentum librorum a. u. c. apte inserere non potuit, cum Valerius Antias oppugnari coeptum esse Saguntum a. 218 tradidisset. Livius id fieri non potuisse vidit, non tamen alias illum nodum expedire potuit quam verbis „aut omnia breviora aliquanto fuere aut Saguntum principio a. 218 non coeptum oppugnari est sed captum," quibus parvam in historiam inquirendam diligentiam ostendit.

Livium Polybium in usum non vocasse hoc loco maxime videmus, cum Livius Polybio inspecto errorem facile intellexisset. Egregium documentum Livium tantum Romanos nonnullos scriptores in usum vocasse habemus Caelii historias c. 1—5, c. 7—9 m. c. 11—15,

Valerii Antiatis annales c. 6, c. 9—11, c. 16.

II. c. 17—38.

Primordia belli usque ad Hannibalis adventum in Padi campos.

I.

c. 17 copiae Romanae disponuntur.

In Graecum fontem Fabium Pictorem verba „quinqueremes" (πεντήρεις), celoces (λέμβοι), copiae peditum sociorumque non in alas cohortesque divisae demonstrant. Fortasse hic iam Fabii Pictoris auctoris antiquissimi, quem Nissenius Livii in pugna ad l. Trasimenum commissa enarranda auctorem fuisse demonstravit detegi possunt.

II.

c. 18—20 Livius breviter sed accurate secundam Romanam legationem Carthaginem missam narrat, quae in optimam veterem annalium traditionem referenda est, ut praecipue quinque legatorum nomina (sine cognominibus tradita) Q. Fabius M. Livius L. Aemilius C. Licinius Q. Baebius ostendunt. Sed in huius legationis mandatis enarrandis Livium rursus ab omni alia traditione abhorrere videmus.

Liv. 21. 18.

legatos mittunt ad percunctandos Carthaginienses publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset, et, si id quod

facturi videbantur, faterentur, ac defenderent publico consilio factum, ut indicerent populo Carthaginiensi bellum.

Pol. 3. 8. 8.

φησί ὁ Φάβιος μετὰ τὴν τῆς προειρημένης πόλεως ἅλωσιν παραγενέσθαι τοὺς Ῥωμαίους οἰομένους δεῖν ἢ τὸν Ἀννίβαν ἐκδιδόναι σφίσι τοὺς Καρχηδονίους ἢ τὸν πόλεμον ἀναλαμβάνειν.

Pol. 3. 20.

Ῥωμαῖοι δὲ προσπεσόντος τοῦ γεγονότος κατὰ τοὺς Ζακανθαίους ἀτυχήματος, παραχρῆμα πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν εἰς τὴν Καρχηδόνα δύο προτείνοντας αὐτοῖς — ἢ γὰρ τὸν στρατηγὸν Ἀννίβαν καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ συνέδρους ἐκδότους διδόναι Ῥωμαίοις ἀπῄτουν ἢ προήγγελλον τὸν πόλεμον.

Zon. 8. 22. p. 180.

τῇ δὲ βουλῇ ἔδοξεν πρέσβεις εἰς τὴν Καρχηδόνα στεῖλαι καὶ τοῦ Ἀννίβου κατηγορῆσαι, καὶ εἰ μὲν μὴ ἐπαινοῖεν τὰ πραχθέντα, δικάσαι, εἰ δ' εἰς ἐκεῖνον αὐτὰ ἀναφέροιεν, ἐξαιτήσασθαι αὐτὸν, κἂν μὴ ἐκδῶσι, τὸν πόλεμον ἐπαγγεῖλαι αὐτοῖς.

App. Iber. 13.

Ῥωμαῖοι δὲ πρέσβεις ἐς Καρχηδόνα ἔπεμπον, οἷς εἴρητο ἐξαιτεῖν παρὰ Καρχηδονίων Ἀννίβαν ὡς ἐς τὰς συνθήκας ἁμαρτόντα, εἰ μὴ κοινὸν ἡγοῦνται τὸ ἔργον. ἢν δὲ μὴ δίδωσιν, εὐθέως αὐτοῖς πόλεμον προαγορεύειν.

Omnes scriptores Fabianam traditionem (Pol. 3. 8. 8) narrant mandata fuisse aut Hannibalem dedendum aut bellum gerendum esse. Livio, qui iam primam Rom. legationem Hannibalem expoposcisse tradiderat, non restat nisi quaestio inanis „publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset“, et bellum indicendum.

Sequuntur deliberationes in Carthaginiensium senatu habitae, Fabii oratio et unius ex Carthaginiensibus responsum (Zon. 8. 22 Hasdrubalis). Excusationes, quas Cartha-

ginienses proferunt apud Polybium Liviumque eaedem sunt (Pol. 3. 20 ff.). Apud utrumque Carthaginienses foedus a. 241 cum C. Lutatio ictum, in quo cum caveretur utrorumque sociis nil de Saguntinis cautum fuisse, recitant, apud utrumque Carthaginienses se non teneri foedere, quod cum Hasdrubale insciis Carthaginiensibus ictum esset, praedicant eodem modo, ut Romani se teneri foedere, quod C. Lutatius fecisset, quia neque auctoritate patrum nec populi iussu ictum esset, negassent (cf. Pol. 1. 63. 1, 3. 27).

Pol. 3. 20 foedus a. 241 ictum identidem recensum esse et Rom. legatos foederis ruptorem expoposcisse addit, tum Fabium bellum verbis indixisse, in quibus omnes narrationes consentiunt (p. 24).

Verba Polyb. 3. 29. 1 „οις (ὑπὸ Ῥωμαίων λεγομένοις) τότε μὲν οὐκ ἐχρήσαντο, λέγεται δὲ πολλάκις καὶ ὑπὸ πολλῶν παρ' αὐτοῖς" Fabium antiquissimum Rom. auctorem, quem ut vidimus in legatione enarranda sequitur, indicare mihi videntur. Livium in his belli causis enarrandis non de Polybio pendere — ut C. Peter existimat — C. Boettcher. recte vidit. Utrumque Livium et Polybium hic non tamen Caelium sed Fabium communem fontem secutum esse persuasum mihi habeo.

Fabius certe gravissimam quaestionem Lutatiine foedera cum Hasdrubalis foederibus comparanda essent, porro an Saguntini foedere excepti essent, disseruit.

Legationem Rom. in Gallias missam (Liv. c. 19—20) praeter Livium Dio C. fr. 56 solus breviter tractavit populique nomen Ναρβωνήσιοι addidit, ita ut hic quoque Fabii vestigia videas.

Quamobrem omnem hanc secundae Rom. legationis narrationem non in Caelium sed in Fabium, qui accuratissime eam tradere potuit, referendam esse censeo; in Fabium 5 legatorum nomina sine cognominibus tradita, in Fabium

summus Livii Polybiique in Carthaginiensium orationibus consensus demonstrant. Livium in libris a. u. c. conscribendis Fabium quoque inspexisse e Liv. 1. 44, et 55; 2. 40, 8. 30, 10. 37, 22. 7 videmus.

III.

c. 21—24 Hannibalis belli apparatus, somnium (Cic. de div. 1. 24. 49 e Caelio) et ad Rhodanum adventum Livius ut Boettcher iam ostendit, e Caelio narrat (p. 378 ff.).

IV.

c. 25 (cf. Pol. 3. 40) Boiorum Insubriumque tumultus narratur. De triumvirorum a. a. a. nominibus Livius quatuor traditiones recenset (Fabii, Claudii, Valerii Antiatis, Pisonis? cf. p. 45).

Polybius — haud dubie Fabium secutus — C. Lutatii nomen tantum tradit, alios duos praetorios fuisse (*οἱ δύο τὴν ἐξαπέλεκυν ἀρχὴν εἰληφότες*). Mutina oppugnata, legati in colloquiis capti, L. Manlius, qui iis auxilio venit, in silvis clade afflictus ab utroque eodem fere modo narrantur.

Livius tamen ad colloquium evocatos esse legatos, Polybius triumviros Gallis colloquium proposuisse, Livius duas in silvis pugnas commissas esse, Polybius unam in silva, alteram in collibus, uterque Romanos Tanneti inclusos esse tradit (Liv. Tannetum ad Padum).

Liv. 21. 25.

silvae tunc circa viam erant. ibi in insidias (Manlius) praecipitatus multa cum caede suorum aegre in *apertos campos* emersit. ubi rursus *silvae* intratae, tum postremos adorti 700 mil. occiderunt, 6 signa ademere.

Pol. 3. 40. 12.

οἱ δὲ Βοῖοι ἔν τισι δρυμοῖς ἑτοιμάσαντες ἐνέδρας, ἅμα τῷ προελθεῖν εἰς τοὺς ὑλώδεις τόπους προσπεσόντες ἀπέκτειναν. ἐπεὶ δὲ τῶν ὑψηλῶν ἥψαντο χωρίων, ἐπὶ ποσὸν συνέστησαν οὕτως ὥστε...

ubi B. verbi *συνίστασθαι* vim (pugnare cf. Pol. 3. 21, 14. 8. 9) non recte perspexit („d. Römer *sammelten* sich).

Polybius vetustissimam Fabianam traditionem narrat, itaque breviter quidem sed multo accuratius in proeliis describendis quam Livius („*τὸ τέταρτον στρατόπεδον*," praetorios fuisse viros).

Livius contra hoc loco quoque posteriorem annalium scriptorem sequitur, qui Fabii narrationem exornarat; id ostendunt 1) tres variae de triumvirorum nominibus relationes, qui postea legati vocantur („cum haec de *legatis* nuntiatum esset"), 2) magni caesorum numeri, 500 v. †, 700 † et 6 *signa mil. c.* 3) Livius non accurate loca, quibus proelia commissa sunt, ut vidimus, differt. Quamobrem hic quoque Valerium Antiatem Livium secutum esse censeo.

V.

c. 26–38 Livius Hannibalis Rhodani Alpiumque transitum e Caelio narrat (cf. Boettcher p. 380–90).

Itaque in hac quoque parte tres relationes in Livio esse existimo:

1) Fabii c. 17—20, 2) Valerii Antiatis c. 25—26, 3) Caelii Antipatri c. 21—24 et c. 26—37.

III.

c. 39—63 res a. 218 gestae enarrantur.

I.

c. 39—48 in rebus ab adventu Hannibalis in Italiam usque ad pugnam ad Trebiam commissam duobus in locis *duas relationes* apud Livium invenimus.

c. 46 in praelio equestri ad Ticinum enarrando Caelii Carthaginiensis narratio Ligurem servum, Romana P. Cor-

nelium Scipionem Africanum pubescentem P. Scipionem consulem servasse tradit (cf. Pol. 10. 3, Zon. 8. 24 p. 184, Val. Max. 5. 4. 2).

Quam vim Livius Caelianae narrationi attribuerit, verba „malim equidem de filio verum esse quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit," ostendunt.

2) c. 47 de Hannibalis Padi transitu Livius Caelii narrationem (cf. Zon. 8. 24 p. 184) potioribus auctoribus opponit, quo loco certe non Polybium ut C. Peter existimat — fortasse autem eius fontem Silenum verbis „potiores auctores" nominat, cum Caelius hoc loco et Sileni et Romanam traditionem protulerit.

II.

c. 49—51 in rebus maritimis circa Siciliam Italiaeque insulas gestis enarrandis cognomina omissa S. Pomponius, Ti. Sempronius, M. Aemilius, parvi numeri (25 naves l., 50 n. 10 n.), simplex ac pulcra narratio de conventu consulis Romani Ti. Sempronii cum rege Hierone in veterem Romanum scriptorem demonstrare mihi videntur aut Fabium aut Caelium; nam eum quoque res maritimas memoriae mandasse fr. 12 (Peter p. 150) ostendit „Sempronius celocem Lilybaeo in Africam mittit visere locum ubi exercitum exponat."

III.

c. 52—56 Pugna ad Trebiam commissa narratur e Coelio (cf. Boettcher p. 398—402), qui Carthaginienses Romanasque traditiones composuit. Romanam enim, equos Romanos non visu modo sed odore insolito elephantorum territos fugam fecisse velitesque Romanos elephantos fortiter impugnasse (cf. App. Hann. 7 p. 116) existimo.

IV.

c. 57—59. In rebus, quae pugnam ad Trebiam sequuntur, Livius non Caelium sed Valerium Antiatem in usum vocat.

Sequuntur enim primum res urbanae Sempronium consulem iter Romam fecisse ut comitia haberet et Hannibalis hibernae expeditiones.

Duarum ad Placentiam pugnarum altera ad Valerii Antiatis pugnae narrationes pertinet (verbis: „ingentibus animis vario eventu pugnatum est," 300 R. eq. † 300 Carth. eq. †, 600 p. † in utraque parte). Praeterea quoque in Apennini transitu enarrando multa in Valerium Antiatum demonstrant.

Labores, quos exercitus Carthaginiensium tolerat, iis persimiles sunt, quos in via per paludem (Livius 22. 2 e Caelio) sustinet.

Liv. 21. 58.	Liv. 22. 2.
e Valerio Antiate?	e Caelio
tanta vis frigoris insecuta est, ut ex illa miserabili hominum iumentorumque strage, *cum* se quisque *extollere ac levare vellet*, *diu nequiret* etc.	Galli *neque sustinere* se prolapsu *neque adsurgere* ex voraginibus *poterant*, aut corpora animis aut animos spe sustinebant.

Duplicem Livii relationem maxime in elephantorum numero enarrando videmus; in pugna ad Trebiam elephanti periere:

Pol. 3. 74. 11 e Sileno	Liv. 21. 56. e Caelio
ὥστε τὰ μὲν θηρία διαφθαρῆναι πλὴν ἑνός.	vis frigoris elephantos *prope omnes* absumsit.

cf. Zon. 8. 85. (186) τους ἐλ. πλὴν ἑνὸς ἀπέβαλεν.

tum Liv. 21. 58 narrat in Apennini transitu elephanti quoque

ex iis qui praelio
ad Trebiam superfuerant,
septem (7) absumti;
denique Liv. 22. 2
Hannibal elephanto, qui
unus superfuerat, vectus . .

cf. Pol. 3. 79. 12
ἐπὶ τοῦ διαλειφθέντος
θηρίου.

Primo loco (21. 58) Livius illum annalium scriptorem, cui nullus in numeris tradendis mentiendi modus erat, Valerium Antiatem sequitur, altero 22. 2, ut B. demonstravit, Coelium.

V.

c. 60—61 res a. 218 in Hispania a Cn. Scipione gestae narrantur e vetere Romano scriptore, ut Livii pecuniae ratio „XX talentis argenti pacti deduntur," et verba „*cis* Hiberum" summusque consensus inter Livium Polybiumque ostendunt (Pol. 3. 76). Livium non e Polybio pendere iam Boettcherus ostendit, cum Livius multo fusius narret.

VI.

c. 62 et 63 res urbanae narrantur, prodigia ac comitia ad consules creandos et contentio inter patres plebemque, quae e Valerio Antiate hausta sunt, ut cognomina C. Atilius Serranus etc., Romana pecuniae ratio „auri pondus XL" ostendunt.

In hac parte igitur tres quoque traditiones compositas vidimus

1) c. 39—48, c. 52—56 e Caelio Antipatro,
2) c. 57—58, c. 62—63 e Valerio Antiate,
3) c. 49—51, c. 60—61 e Fabio (?).

Liv. XXII.

I.

c. 1 Gallorum odia in Hannibalem, qui mutando vestem capitisque tegumenta sese ab eorum insidiis munierat, e Caelio narrantur (cf. Pol. 3. 79. 1—5).

II.

c. 1 res urbanae narrantur, quas Livius ex eodem fonte hausit unde Plut. Fab. v. c. 2, e Valerio Antiate, prodigia eorumque procurationes, Saturnalia instituta.

III.

c. 2—7 in Hannibalis per paludem itinere et in pugna ad l. Trasumenum enarrandis Livius Caelium sequitur, Polybius 3. 78—79 Silenum. Boettcherus Livium Polybiumque in ea re inter se differre existimat, quod Polybius duas eodem tempore pugnas commissas tradiderit, alteram in valle, alteram ad lacum, Livium tamen unam tantum in valle; quamobrem B. Livium iam in pugna describenda illum scriptorem, quem in caedis numero laudat, Fabium secutum esse ostendere tentat. Caelius tamen hoc loco Romanam Carthaginiensemque narrationem contaminavit, Polybius certe Silenum solum auctorem sequitur. De locorum situ uterque conspirat

Liv. 22. 4	Polyb. 3. 83. 1—5
e Caelio — Sileno	e Sileno

porro quoque in caede in lacu enarranda

Liv. 22. 6	Pol. 3. 84. 9. 10

tum quoque uterque tradit illos 6000 R. primi agminis (Pol. *τῶν κατὰ τὸν αὐλῶνα*) praecipue ad deditionem coactos esse.

Liv. 22. 6	Polyb. 3. 84. 14
fame instante	*ποικίλης αὐτοῖς ἀπορίας περιεστώσης,*

ubi B. utrumque consentire negavit.

IV.

c. 7—18 in rebus urbanis Fabiique dictatura enarrandis Caelium Livius meo quidem iudicio non secutus est, cum dicat „populus *pro dictatorem* creavit Q. Fabium Maximum," Caelium autem populum dictatorem creasse Fabium narrasse e c. 31 videamus; propterea hoc loco Livius alium posteriorem annalium scriptorem sequitur, qui alias narrationes emendavit; id ostendunt quoque verba 22. 31 *omnium prope annales* Fabium dictatorem adversus H. rem gessisse tradunt," ubi posteriorem annalium scriptorem *Valerium Antiatem* exceptum esse ego mihi persuasum habeo „res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes titulum imaginis posteros, ut qui pro dictatore dictator crederetur facile obtinuisse".

c. 9 Hannibalis iter per Umbriam ad mare Adriam enarratur e *Caelio* (cf. Polyb. 3. 86. 8—87. 5, Boettcher l. c. p. 418—9.

c. 9—10 res urbanae traduntur e Valerio Antiate, ut cognomina ostendunt L. Cornelius Lentulus, Q. Fabius Max.

c. 11—18 in Fabii dictatura et cunctatione describendis Polybius Liviusque multum dissentiunt, Polybius exactius Silenum secutus de Carthaginiensibus, ut vidimus (p. 13—14), Livius de Romanis refert.

Pol. 3. 88. 7	Liv. 22. 11
Fabium 4 legiones circumscripsisse narrat,	Fabium 2 legg. Hannibalem τολμηρῶς ἐς τὰ περὶ Καπύην πεδία transisse dicit,

Livius autem eum per tres Campanos equites invitatum ducentiumque errore Casilinum pro Casinum pervenisse, ait, quas varias inter se pugnantesque narrationes Boettcherus (p. 420—4) frustra meo quidem iudicio coniungere et in Caelium—Silenum reicere conatur. Polybius certe Silenum, Livius Valerii Antiatis Fabianam relationem sequitur.

c. 14—18 in cunctatione Fabii Hannibalisque e Campania in Samnium reditu describendis Livius eundem annalium scriptorem Valerium Antiatem sequitur. Ad Romanum scriptorem pertinent:

1) accurata locorum, quae Hannibal transiit descriptio Calliculae iugum, mons Massicus, Sinuessae tecta, Appia limes, Formiana saxa, Literni arenae, ager Allifanus, quae tantum apud Livium exstat.

2) Livius solus e Fabiana relatione (c. 15) Casilinum et Calliculam montem modicis Romanorum praesidiis occupata esse, solus Minucium dimissum cum Fabio se iunxisse (c. 15) tradit; in fallacis consilii quoque apparatu enarrando Livius Polybiusque dissentiunt, ita, ut Polybius magis, ut vidimus, Carthaginiensem accuratissimam Sileni traditionem, Livius Fabii dictatoris Romani relationem, quae culpa se absolvit, memoriae mandasse videantur.

Livius enim solus c. 16 „inclusum inde Hannibalem via ad Casilinum obsessa videri" tradit, Romanorum victoriam laudat Hannibalisque fugae causam ad eos, qui ad transitum saltus insidendum locati circumventosque se esse rati praesidio excessere refert.

Itaque in Liviana narratione prope defensionem Fabianae cunctationis, in Polybii ut vidimus eius vituperationem Hannibalisque astutiae laudationem legimus. Livius ut opinor totam illam narrationem e *Valerio Antiate* hausit, qui Fabianam relationem protulit.

Valerium Antiatem ostendunt:

1) cognomina: L. Papirus Cursor (c. 14), L. Hostilius Mancinus (c. 15).

2) exacti caesorum numeri 200 R. † 800 C. †.

3) accurata locorum descriptio,

4) Livii Plutarchique (Fab. c. 6—7) consensus.

Denique, ut Boettcherus iam vidit, Livius Polybiusque maxime in Gereonio Apuliae oppido capto narrando dissentiunt (Liv. 22. 18 Pol. 3. 100. 3 ff. cf. p. 15), cum Livius hoc loco (c. 18) Romanum, altero ut videbimus (c. 23) eundem Carthaginiensem quem Polybius protulit autorem sequatur.

Id igitur nos pro certo affirmare posse putamus Livium in Fabii dictatura enarranda Valerium Antiatem secutum esse.

c. 19—22 res in Hispania a Scipionibus a. 217 gestas fortasse e Fabio Livius narrat. Romanam originem summus inter Livium Polybiumque consensus, quem Boettcherus iam demonstravit (l. c. p. 424—7), porro verba „in citeriora provinciae", „*cis* Hiberum" ostendunt. Non tamen Livium hac in parte e Polybio pendere, ut C. Peter existimat, B. l. c. ostendit.

c. 23—31 Livius Fabii sollertem cunctationem, dictatoris invidiam, aequatum inter Fabium Minuciumque imperium, Fabii de Hannibale victoriam Minuciique cladem narrat.

c. 23 duas res ad augendam dictatoris invidiam profert, ubi egregie cum Plutarcho consentit, cum uterque ex eodem scriptore, Valerio Antiate, pendeat. Plutarchus enim multo fusius et accuratius quam Livius narrat, qui duas narratiunculas contraxit.

Ad Valerium Antiatem pertinet Romana pecuniae ratio „argenti pondo bina et selibras" cf. Plut. Fab. 7 „*δραχμαὶ πεντήκοντα καὶ διακόσιαι*".

c. 23—24 Livius duas eiusdem pugnae ad Gereonium inter Minucium Hannibalemque commissae relationes profert, primam Caelii, alteram Valerii Antiatis (?).

Caelianam esse primam consensus inter Livium (c. 23)

Polybiumque (3. 100—102) qui Silenum ut vidimus (p. 15—16) sequitur, demonstrat. Caelius Polybiusque Minucium plebeium ducem victorem Hannibalem victum ad castra fugasse ostenderunt. Verbis „iusta quoque acie et collatis signis dimicatum *quidam auctores* sunt“ Livius Valerii Antiatis meo quidem iudicio narrationem profert, ut magnus caesorum numerus (6000 C. †, 5000 R. †) et tota pugna descripta ostendunt. Valerius Antias Fabianam relationem tradidit, dictatoris Fabii iussu Samnites in castra Romana adductos exercitum Romanum servasse, Caelius Polybiusque autem Minucium plebeium virum non Fabium optimatium ducem primum Hannibalem superasse memoriae mandaverunt. Hic optime, quantum inter Caelii Valeriique Antiatis relationes distet, videmus.

c. 25—26 in contionibus de aequando inter Fabium Minuciumque imperio enarrandis, eundem Valerium Antiatem ut opinor sequitur Livius, cum Livius

1) cognomina M. Atilius Regulus, C. Terentius Varro proferat,

2) narrationes, quas Valerio Antiati tribuere potuimus, memoret verbis

„sedenti Casilini dictatore“ (cf. c. 16,

„et agrum suum tutante“ (cf. c. 23.

3) cum Livius Plutarchusque, qui hic quoque Valerium Antiatem, ut demonstrasse nos existimamus, non Livium, multo brevius narrantem sequitur, egregie consentiant.

Ubique Fabii laudes ac virtutes, Minucii superbia et immoderantia laudantur, quamobrem Valerium Antiatem Fabianam illarum rerum urbanarum relationem tradidisse pro certo habeo.

In Valerium Antiatem quoque referre possumus quae Livius de rebus a. 217 et 216 gestis tradidit; primum

c. 27—31 Fabii Minuciique dictaturam, servatum a Fabio Minucium, exercituumque coniunctionem (cf. Plut. Fab. 12—13 p. 36).

c. 31 Livius omnium prope annalium qui dictaturam Fabii retulerunt, relationes e Valerii Antiatis annalibus, qui, ut vidimus, eum pro dictatorem fuisse dixerat, emendavit.

Fortasse Valerius Antias, quem Livius in l. XXII fine praecipue sequitur, suis iam annalibus nonnulla e Caelii historiis inseruit, praecipue in pugna Cannensi describenda, ubi Carthaginiensis exercitus armaturam et aciem totamque pugnam e Caelio Livius narrat (cf. Pol. 3. 112—118).

In libris eorum, qui belli Punici secundi res gestas memoriae mandaverunt, duas igitur relationes invenimus, alteram Carthaginiensem alteram Romanam.

Carthaginiensem Sileni relationem sequuntur Polybius, Caelius, cuius historiae apud Livium, fortasse quoque apud Dionem Zonaram et Cornelium Nepotem exstant; Romanam sequuntur Diodorus, Appianus, fortasse Dio-Zonaras quoque nonnullis in locis et Valerius Antias, cuius vestigia in Pluarchi vita Fabii Livioque indagasse nos speramus.

AH 7448.72
Quaeritur unde belli Punici Secundi
Widener Library
003534508
3 2044 080 869 308